

Pohlmann, Wilhelm
De arte qua fabellae Herodoteae narratae sint.

DE ARTE QVA FABELLAE HERODOTEAE NARRATAE SINT.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GVILELMVS POHLMANN

LVNAEBVRGENSIS.



GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXII.

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem
rettulerunt
P. Wendland et M. Pohlenz.

Examen rigorosum habitum est die VIII. mens. Novembris
anni MCMXI.



PARENTIBVS SACRVM

Perlustrantes dissertationum seriem, quae de Herodoto scriptae sunt, saepissime de auctoritate atque fide, quae Herodoto aut habetur aut abrogatur, quaesitum esse cognoscimus. cum aliquando omnibus fere fabulis ab Herodoto narratis fides haberetur, multis inscriptionibus monumentisque repertis progressaque historicorum quaerendi arte Herodoti historici fides errorum numero augescente minuebatur. sed Herodotus non est historicus, qualem nos quaerendi arte usum fingimus atque exspectamus. quamquam ex monumentis omnibusque testimoniis, quae praesto erant, critice quid verum esset quaerere studebat, tamen maximi momenti in opere componendo eae narratiunculae fabulaeque erant, quas in itineribus vel e volgi ore vel a sacerdotibus imprimis Delphicis narratas nobis tradidit acceptas [1]. unde evenit, ut non tam ea, quae facta essent, audiret, quam ea, quae volgus de his rebus suo modo atque consuetudine fabularetur atque exornaret non ea mente, ut regum res gestas, bella, victorias memoriae proderet — hoc volgi non interest —, sed ut his fabulis delectaretur. quae fabulandi ratio, quam pervolgata sit fueritque, ex fabellis cum orientalium atque Graecorum antiquis, tum nostra aetate narratis intellegimus. neque errabimus statuentes etiam apud Iones, qui Asiam incolentes cum orientalibus consuetudine coniuncti erant, fabulatorum ordinem quendam fuisse, qui fabulis

1) De fontibus, quibus Herodotus usus sit, conferendi sunt E. Meyer, Forsch. z. alten Gesch. II p. 233 sq.; Oeri, de Herodoti fonte Delphico, Diss. Basel 1899.

audientes delectabant[1]). Iones, cum Homeri carmina non iam recitabantur, de barbarorum celeberrimis illius aetatis regibus delectandi causa fabulas narrabant. iam quid in narrando spectabat volgus? de regum rebus gestis narrare volgi non intererat, sed de iis rebus, quas, qui audiebant, ex sua vita intellegere poterant, de fatis, quibus ipsi commovebantur, de rebus intimis atque privatis, ex quibus homines, non reges cognoscerentur: qua ratione ex historia fiebat fabella[2]).

De talibus fabellis ab Herodoto narratis quaestionem habebimus non id spectantes quid re vera factum sit, sed quali arte ab Herodoto narratum sit. nam non modo qui poetarum carmina pronuntiabant, sua narrandi arte utebantur, sed etiam fabulatores sua ratione atque arte, suis formulis narrabant, quae iure „leges“ nominatae sunt[3]).

Rationem atque artem, qua fabellae Herodoteae narratae sint, demonstrare conabimur semper id spectantes,

---

1) Quamquam nil certi de hoc fabulatorum ordine traditum est, tamen eum fuisse ex nonnullis posterioris aetatis testimoniis et ex aliarum nationum similitudine concludere possumus. quos fabulatores (λογοποιοί) aetate hellenistica mimis, histrionibus, scurris (μῖμοι, ἠθολόγοι, θαυματοποιοί, γελωτοποιοί) cognatos fuisse Rohde exposuit (Der griech. Roman[2], Lpz. 1900 p. 591). quibuscum conferas aretalogos, qui eodem modo eos, qui audiebant, narratis fabulis delectabant (cf. Reitzenstein, Hellenist. Wundererzähl., Lpz. 1907; p. 8 sq.). tales fabulatores, a quibus fabellas narratas esse fingimus, etiam apud alias nationes cognoscimus. nonnulla commemoraverunt de fabulatoribus Persarum: E. Meyer, Forsch. II p. 236 sq. (cf. Nöldeke, Grundr. d. iran. Philol. II); Hebraeorum: Gunkel, Handkomm. z. alt. Testam. I. Gött.[3] 1910 p. 31; Germanorum: Paul, Grundr. d. germ. Phil. II 1, p. 733. conferas etiam fabulatores medii aevi, qui appellabantur „spilman“, „spiliman“ atque opponuntur poetis vel cantoribus, qui nominabantur „scof“, „liudari“ (cf. Wackernagel, Gesch. d. deutsch. Litt.[2], Basel 1879 § 42, 43, 44, 66).

2) Fabellam dico, quam recentes appellant „Novelle“ et „Märchen“.

3) Vir doctissimus Danicus nonnullas leges, quibus fabulatores in narrandis fabulis utantur, optime exponit (Axel Olrik, Epische Gesetze der Volksdichtung, Zts. f. dtsch. Alt. 51 p. 1 sq.; cf. etiam Danske Studier. 1908, 69—89). Alios libros suo afferam loco.

ut ex fabulis et fabellis, cantilenis popularibus variarum nationum Herodoteam narrandi rationem illustremus. nam quamquam propria nationum indoles, mores, opiniones in fabellis agnoscuntur, similis narrandi ratio in fabellis Graecorum, Hebraeorum, Germanorum, aliarum nationum facile apparet. quem consensum inde potissimum repetemus, quod fabellae narrabantur audientibus, non scribebantur et legebantur.

Primum, qua ratione illa de Gyge fabula Herodotea narretur explicare, deinde aliis exemplis ex Herodoti opere allatis artem Herodoteam illustrare mihi proposui.

---

1. DE FABULAE AD GYGEM PERTINENTIS VARIIS FORMIS TRADITIS.

Fabellam Herodoteam de Gyge, Candaule, eius uxore narratam ob eam tractabo causam, quia quattuor variis huius fabellae formis traditis non solum quomodo orta sit intellegere, sed etiam qua ratione varietur talis fabella a fabulatoribus narrata satis commode perspicere possumus.

De Gyge igitur hae fabulae traduntur:

a) apud Nicolaum Damascenum (frg. 48 Dindorf, Histor. min.).

Postquam Alyattes Dascylum, Gygis proavum, necavit, Dascyli uxor in exilio peperit filium, Gygis patrem. Gyges ab avunculo filius adoptatus admirabili forma atque rebus gestis excellens recipitur in numerum comitum regis, qui eum in magna mittit pericula, quibus fortiter perfunctus adulescens regi conciliatur. Gyges regi adducturus sponsam, cum amore incensus virginem amplecti studet, repudiatur, rex se necaturum eum esse minatur. ancilla de minis, quas in cubiculo audivit, amans Gygem certiorem facit aperitque fores adulescenti, qui cum amicis

armatis ingressus regem interficit. sedata seditione Delphico oraculo comprobatus rex reginam ducit uxorem.

Nicolaus narrat etiam de Gygis parentibus atque pueritia. antequam Gyges natus est, parentibus insidiae parantur. Dascylus, Gygis proavus, a rege invido necatur; eius uxor fugere coacta parit filium, qui, ut vitet regis odium, in Phrygiam effugit. in exilio Gyges nascitur, in magna pericula mittitur, rex eum interfecturus est.

Habemus adulescentem, qualis a volgo fingi solet. saepissime enim in fabellis puero, qui rex futurus est, insidiae parantur. ex permultis exemplis nonnulla affero. Cyrus, quem avus, ut interficiat, persequitur, insidias effugit et servatur (Herod. I, 107 sq.). quam volgatum sit hoc argumentum, ostendunt viri docti fabulis multarum nationum collectis[1]). similiter Cypselus servatur ex periculis a Bacchiadis conflatis, quibus expulsis Corinthi fit tyrannus (Her. V, 92). quibus exemplis inter se comparatis[2]) non res factas, sed fabellam a Nicolao narrari verisimile mihi fit, id, quod etiam aliis argumentis demonstrare conabor.

Nam quam ob rem Gyges necat regem?

Nicolaus vel Xanthus vel Lydi haec respondent: rex se interfecturum esse adulescentem minatus est. haec igitur fabula regis necem interpretans causam esse narrat regis irati studium ulciscendi. quod verum esse potest, quamquam mirum videtur Gygem modo regis inimicum esse modo amicum. etiam animadvertendum est, quantopere iniuriae gradatim progrediantur. a) Gyges in exilio facile regem effugere potest: vita eius non petitur; b) a

1) Ad. Bauer, Die Kyrossage u. Verwandtes, Ber. d. Wien. Akad. Phil. hist. Kl. C; Schubert, Herodots Darstellung der Kyrossage, Breslau 1890.

2) addere possum etiam in fabellis Germanicis saepe eum, qui contemnitur vel cui insidiae parantur, ad summos pervenire honores (cf. Grimm, Kinder- und Hausmärchen [K. H. M.] Lpz. Hesse No. 64, 33, 52, 57, 192).

rege mittitur, ut magnos suscipiat labores: vita eius in magno periculo est, sed fortitudine servatur; c) rex eum interfecturus est: vita eius in summo discrimine est neque Gyges effugere potest, nisi regem interfecerit.

Deinde quaeritur quomodo Gyges cum regina coniunctus sit. Nicolaus duarum rationum olim diversarum vestigia tradit.

Primum: Gyges et regina amore coniuncti sunt. nam a) Gygas reginam amat, sed refutatur; b) pro regina ancilla, quae Gygem amat, adhibita consilio regis detecto adulescentem in cubiculum introducit. quam ancillam in reginae ipsius locum successisse iam ab aliis demonstratum est[1]; c) regina, quamquam antea adulescentem aspernata erat, Gygi, qui maritum interfecit, nubit nullius rei memor. quod, cum apud Herodotum intellegamus — nam Candaules uxorem gravissima affecerat iniuria —, apud Nicolaum non intellegimus.

Deinde: amor non fuit inter Gygem et reginam: nam a) regina Gygem aspernatur; b) pro regina, quae nihil agit, ancilla fores aperit. quae res, quamquam inter se diversae, a Nicolao miscentur. utra verior sit non licet neque necesse est quaerere, nam ex ipsa discrepantia iam Nicolai vel Xanthi temporibus homines inter se discrepasse et varia tradidisse patet.

b) apud Platonem
(Rep. II, 359; X, 612).

Gyges, regis cuiusdam pastor, ubi terrae motu facto descendit in terram, praeter alias mirificas res invenit in aeneo equo corpus permagni viri, cuius anulum detractum secum portat. forte cognita mirifica potestate anuli, quem qui invertebat, aspectum hominum fugiebat, stuprat reginam, qua adiuvante regem interficit, ipse fit rex.

Haec est fabella neque cuiquam mirum videtur, quod

1) Busolt, Griech. Gesch. II, p. 456 sq.; Schubert, Könige von Lydien p. 29 sq.

Gyges fingitur, quales in fabellis fingi solent principes. Gyges pastor est, qui anulo forte invento pervenit ad regnum. hoc loco simile argumentum atque apud Nicolaum agnoscimus: Gyges humili genere ortus fortuna adiuvante atque sua fortitudine fit rex. quod in terram descendit [1], ubi cum alias mirificas res tum equum aeneum [2] et corpus permagni viri invenit et ceteris rebus neglectis anulum sibi eligit, cuius mira potestate [3]) utitur, ex omnibus his rebus fabellam agnoscimus. argumentum, quod in hac fabella gravissimum videmus esse (mirificum anulum), in fabellis frequentissimum olim a Gyge alienum, iam cum fabula, quae de Candaulis nece narrabatur, coniunctum est. miro anulo non modo qua ratione Gyges regem interfecisset, sed etiam quomodo reginae amorem atque auxilium adeptus esset, satis fuit probatum. — apparet etiam hic inter Gygem atque reginam intercedere amorem, quamquam ea non opus erat Gygi ad capessendum regnum et demonstrandam anuli potestatem.

c) apud Herodotum
(I. c. 8—12, c. 13).

Candaules, Heraclidarum ultimus Lydorum rex, Gygi, e gente Mermnadarum orto, comitum dilectissimo, ut conspiciat reginam, quam putat pulcherrimam, nudam, persuadere conatur. Gyges frustra recusare conatus a Candaule in cubiculum introductus reginam spectat nudam, sed ipse abiens conspicitur a regina. quae ulciscendi

---

1) de hoc argumento in fabellis usitato conferas quae K. F. Smith attulit (The tale of Gyges and the king of Lydia, American journal of phil. 23, 1902, 272 adn. 1).

2) cf. Smith, l. l. adn. 2.

3) de hac mirifica anuli potestate Smith nonnulla affert (p. 268 adn. 2), quae multis exemplis ex fabellis collectis amplificare possim. nonnulla attulerunt Huth, Zts. f. vergl. Litt.-G. 4 p. 181: Rittershaus, Neuisländ. Volksmärchen, Halle 1902 (IV, XL); Minor, Gött. gel. Anz. 1903, p. 130. etiam aliae res eadem potestate praeditae sunt: velamen, vestimentum, pileus, ἡ Ἄιδος κυνῆ, vestimentum, quod Germanice appellatur „tarnkappe“, „tarnhût“, „tarnkleit“.

studio inflammata a Gyge postulat, ut aut regem aut ipse se interficiat. Gyges necat regem adiuvante regina, quam ducit uxorem. seditiosi Gygis sodales et Lydorum reliqui cives tumultuosa contione habita ab Apolline Delphico accipiunt oraculum, quo Gyges Lydorum rex comprobatur.

Gyges non modo dilectissimus est comitum, sed familiaris regis, qui ei secreta commendat. etiam apud Nicolaum Gyges a rege diligitur, sed nihil audimus, unde cognoscamus quo animo Gyges sit erga regem. apud Herodotum oritur certamen pietatis erga amicum cum sui servandi studio. quamquam non plane expressum — id quod ex Herodoti narrandi arte postea intellegemus — tamen hoc certamen cognoscimus recusantis et necem detrectantis [1].

Amorem inter Gygem et reginam exstitisse consulto ab Herodoto negatur. quod nisi ita esset, cur Gyges omnino recusaret, cum reginae consilium secutus eam facillime uxorem ducere posset? sed Herodotus id argumentum profert, quod quanti momenti sit, prorsus intellegere non possumus nisi ex orientalium moribus, secundum quos mulier se ab alieno viro nudam conspici quasi stuprum putat. atque Herodotus ipse claris verbis Lydorum esse hunc morem dicit quippe discrepantem a Graecis [2].

Apud Herodotum exstat fabella, in qua pro consueto amore narratur hoc singulare nuditatis argumentum, quo fortasse Graeci ob ipsum peregrinum colorem delectabantur.

---

1) Conferenda sunt in c. 11: . . . ἱκέτευε μή μιν ἀναγκαίῃ ἐνδέειν διακρῖναι τοιαύτην αἵρεσιν . . . „ἐπεί με ἀναγκάζεις δεσπότεα τὸν ἐμὸν κτείνειν οὐκ ἐθέλοντα . . .“ atque quater eum coactum esse confirmatur.

2) Fabula de Actaeone narrata, qui Dianam lavantem nudam conspexit, contrarium non demonstratur. nam posteriore demum aetate hoc argumentum in hanc fabulam translatum est (cf. Pauly-Wissowa, R. E. s. v. Actaeon). — Conferas etiam quae Wilamowitz dicit in libro, qui inscribitur Staat u. Gesellsch. d. G. u. R., Berl. 1910 p. 90.

d) apud Plutarchum
(Quaest. Graec. 45)

Candaules dedignatus securim quandam uni ex sodalibus dat gerendam. Gyges, cui auxiliatur Arselis, Mylasensium princeps, deficit a rege, qui cum sodali suo necatur. securis in Cariam cum aliis spoliis transfertur.

Haec fabula aetiologice interpretari conatur, cur Iovis statua Carica non sceptro vel fulmine, sed securi ornata sit. non est fabella, sed historia. Gyges a rege deficit, Arselis, princeps quidam, eum adiuvat, rex pugnans interficitur: haec minime fabellarum narrandi rationi adaptata sunt.

In his quattuor variis eiusdem fabulae formis, quid veri insit, fortasse intellegere possumus. semper enim etiam in fabulis popularibus fundamentum quoddam originis fabulae inest et comparatis variis formis recuperari potest. omnibus enim quattuor fabulis hoc demonstratur: Gyges interfecto Candaule Lydorum factus est rex. qua re atque qua ratione regem interfecerit, quaerere debemus.

Nicolai fabulam non minus quam Platonis et Herodoti cum aliis argumentis, tum quod res minime veri similes narratae sunt, fabellas esse cognovimus, quibus non quid factum sit, sed quomodo fabulatores interpretati sint, quod factum erat, narratur. de Platonica fabella nemo est qui dubitet. de Nicolao haec addo: num Gygem ancilla iuvante regem interfecisse veri simile est? nonne consentaneum erat eum metuere et reginae odium et impetum eorum, qui cum rege starent? apud Herodotum non solum mirum in modum reginae ulciscendi studium movetur, sed etiam Gygem solum a regina impulsum ad regnum pervenire potuisse veri dissimile est. Gygem Candaule necato regem factum esse iuvante regina non fit veri simile, nisi poterat niti militibus, qui ei favebant. hoc apud Plutarchum refertur: Γύγης ἀποστὰς ἐπολέμει πρὸς αὐτόν. iam hac re comprobatur a) Gygem non solum a rege defecisse, sed fretum militibus, b) Gygem magna

et auctoritate et potestate usum esse. praeterea Arselis, Mylasensium princeps, iuvat deficientem principem. non est domestica discordia, sed certamen inter duas potentissimas Lydiae gentes, inter Heraclidas debilitatos et validos Mermnadas. hoc etiam Nicolai testimonio confirmatur: Gyges armatus cum amicis ingreditur in regiam: rege necato seditiosorum alios interficit, alios donis placat — quod antea eum fecisse veri simillimum est! —, civibus in forum convocatis tumultum sedat. habemus hoc loco seditionem et pugnam quamquam post necem translatam! etiam Herodotus Gygis factionem fuisse, quamquam in ipsa fabella non commemorat, non ignorat (c. 13). difficilius est diiudicare, quousque regina particeps fuerit facti. a Plutarcho regina omnino non commemoratur, Gyges fretus amicis vel exercitu regina carere potest. sed in ceteris tribus fabulis regina primas agit partes. id unum et Herodoti et Nicolai et Platonis fabulis probatum esse putem: Gygem reginam duxisse uxorem. utrum Gyges atque regina in Candaule interficiendo coniuncti fuerint (quod veri simile videatur ex Platonis et Nicolai fabulis, nam ancilla in reginae locum successit) necne (quod Herodoti atque Nicolai altera fabula, qualem nunc habemus, comprobatum videatur), diiudicari non potest. non amorem tanti momenti fuisse, sed reginam Gygis uxorem factam esse, quia Lydorum regnum coniunctum erat cum reginae viduae manu, maxime mihi fit veri simile[1]. quibus factis Gyges permultis donis, ut Apollo Delphicus se regem comprobaret, effecisse videtur. quod Herodotus et Nicolaus dona faciunt missa post oraculum (ad gloriam et auctoritatem dei augendam!), facile intellegitur res a sacerdotibus pervolgata.

Facta igitur esse puto haec: Gyges, Lydorum princeps e gente Mermnadarum ortus, interfecit Candaulem regem fretus amicis militibusque, qui eius partes sequebantur.

---

1) cf. exempla, quae Gelzer collegit (Rh. M. 35, 516).

reginam viduam duxit in matrimonium. quo facto Lydorum rex factus est.

Hoc erat fundamentum, ex quo ortae sunt quattuor variae fabulae. fabulatores Candaule interfecto maxime commoti non satis habebant rem ipsam referre, sed cupidi audiendi non quid, sed quomodo factum esset, interrogabant: qua ratione commotus Gyges regem interfecit? quomodo regina cum Gyge coniuncta fuit? nam hi primas partes agebant, Candaules secundas. quicumque narrabant de hac fabula, eo narrabant modo, quo factam esse fingebant[1]).

Aliud est quae facta sint quaerere, aliud construere genuinam fabulam, ex qua ceterae fabulae ortae esse videantur. quamquam hanc rationem referendi varias fabulae formas ad unum exemplar omnino improbo, tamen de ea, quia alii genuinam huius fabulae formam restituere conati sunt, pauca dicenda sunt. viri docti genuinam formam ita construxerunt, ut comparatis variis formis alias partes refutarent, earum, quibus simile aliquid praeberi videbatur, aliam ex alia derivatam esse putarent. velut Schubert (Könige v. Lyd. p. 31) Plutarchi fabulam cum ceteris coniungere studens Candaulem apud Plutarchum commemoratum alterius, qui a Gyge necatus sit, fratrem esse dicit. Ed. Meyer (Forsch. II p. 240) Platonis fabulam antiquissimam esse putat, ex qua Herodoti fabella rationi adaptata orta sit; Plutarchi fabulam nihil valere. quae nonnullis veri similia esse videantur, sed miramur, ad quantum errorem perducere possit talis quaestio, qualis a Gutschmidio et Smithio instituta est[2]).

---

1) Quomodo varientur fabulae fabularumque partes etiam ex reginae nominibus intellegimus. Herodotus reginae nomen non affert; a Nicolao nominatur Tudo, Arnossi, Mysiae regis, filia; Ptolemaeus Chennus (apud Photium) etiam alia cognovit nomina: Νυσία, Κλυτία, Ἁβρώ nominatur, quibus non contentus narratiunculam affert, qua, cur Herodotus nomen neglexerit, explicatur (cf. Ptolem. Hephaestionis ap. Phot. Bibl. p. 150 Bekk., p. 195, 16 in Westerm. Mythogr.).

2) Gutschmid, Kl. Schr. V p. 53; Smith, l. l. p. 383 sq.

Quibus argumenta quaedam opponere mihi liceat. primum vitupero, quod et Gutschmid et Smith Iustini, Chenni, Philostrati, quae posteriore aetate ex Herodoto vel ex Platone derivata sunt, testimoniis non minus tribuunt quam antiquis Nicolai, Herodoti, Platonis, Plutarchi. deinde quomodo oriantur atque varientur fabellae non satis intellegere mihi videntur. proprium enim fabellarum antiquarum hoc est: quam simplicissima fabella sit oportet. qua re genuina fabula — si esset — omnino nihil aliud narratum esset nisi quomodo Gyges Candaulem interfecisset et cum regina coniunctus fuisset. postea demum Gygis pueritia fingebatur et res factae aliis rebus adeo augebantur, ut ex fabella fieret fabellarum series, qualem habemus in Croesi vel Cyri fabellis ab Herodoto narratis. numquam enim una fabella antiqua, sed serie fabellarum narrari solet, quomodo progrediantur hominum mores. exempli gratia Croesum ex barbarorum ditissimo rege pauperem factum esse Cyri ministrum atque suasorem serie quadam complurium fabellarum, quae ad Croesum pertinent, narrat Herodotus. qua re hoc praeceptum in perpendendis talibus variis fabulae formis statuimus: ex se et sua quaeque forma fabella sola intellegi debet. singulis fabulae formis diverse eadem res narratur: alia reginae, alia Gygis partes sequitur. si variae fabulae quibusdam rebus congruere videntur, hoc non fit, quod alia ex alia derivata sit, sed quia ex iisdem rebus factis ortae sunt, quas suo quisque fabulatorum modo interpretabatur.

Quibus rebus expositis fabella Herodotea de Gyge tradita, qua ratione, qua narrandi arte exposita sit, explicabimus.

---

2. DE FABELLAE HERODOTEAE PERSONIS.

Candaules his verbis inducitur: ἦν Κανδαύλης . . .. τύραννος Σαρδίων, ἀπόγονος δὲ 'Αλκαίου τοῦ Ἡρακλέος. Ἄγρων primus nominatur Lydorum rex ex Heraclidarum gente ortus, postremus Κανδαύλης ὁ Μύρσου, Gyges nominatur ὁ Δασκύλου, regina ἡ γυνή. quod eo magis notandum est spectantibus illius aetatis morem maiores enumerandi et a diis derivandi. postquam perpaucis verbis introducti sunt, subito Candaules cum Gyge colloquitur. ubi fiat hoc colloquium, non narratur, statim media in re sumus et colloquentes audimus. etiam aliud animadversione dignum est: Gyges atque rex nullo verbo describuntur; qualem speciem praebeant, quot annos habeant, qualem vestem gerant, nihil eius modi narratur. quod notamus, quia alia est nostrae aetatis narrandi ratio. nec discrepat, quod regina omnium mulierum pulcherrima appellatur. nam nullo loco haec pulchritudo describitur. Candaulem pulchritudinem celebrantem audimus, Gygem, ut spectet pulchritudinem, vitam suam in discrimen deducentem videmus, sed numquam ipsam pulchritudinem spectamus, immo, ne tum quidem, cum Gyges eam spectat nudam, qualis sit pulchritudo vel quantopere moveatur Gyges narratur. pulchritudo enim iam nullius momenti est ad fabulam continuandam, quam ob rem pulchritudo ineunte fabula semel commemorata erat, quia fabula ea movebatur.

Porro videamus quomodo animi motus narrati sint. Candaules uxorem amat ratus sibi pulcherrimam esse mulierem, quam apud Gygem praedicat. Gygi, ut reginam spectet nudam, persuadere conatur. timorem refellit, consilium dat. deinde Gygem in cubiculum introducit, iam nihil agit, sed interficitur. num eius animi motus descriptos esse dicamus? quomodo solus particeps tantae pulchritudinis esse nolit, quo animo Gygem adloquatur, ei persuadeat, quantopere delectetur eius promisso, quo animo eum introducat, quid postea ipse sentiat, utrum

delectatus sit an fortasse eum paenituerit: omnia talia a nostratibus explicarentur, Herodotus non curat. nihil narratur, quod supervacaneum est ad fabulam movendam, nihil omittitur, quod necessarium est ad rem. quod solus pulchritudine frui non vult, maximi momenti est, nam fabula hac re movetur; quid sentiat rex, cum Gyges assensus sit, nullius iam momenti est. postquam Gygem introduxit, Candaules ad fabulam continuandam, cuius primas partes suscipit Gyges, quid sentiat, iam nil interest.

Gygem regis familiarem putari et nominari supra vidimus. quid audimus de eius animi motibus? cum Candaules Gygi persuadeat, territus Gyges ἀμβώσας εἶπε, postea poeta addit: ἀρρωδέων μή τί οἱ ἐξ αὐτῶν γένηται κακόν. quid igitur sentit? nos eum miratum esse, deinde indignatum, tamen stimulatum, sed timore commotum recusasse exspectaremus, Herodotus narrat: ἀμβώσας εἶπε. pro ipso animi motu vel motibus inter se pugnantibus id solum narratur, quod sensibus percipi potest: exclamavit. atque ex eius verbis nihil intellegimus, nisi eum indignatum quasi iudicem morum se praestare. Herodotus autem Gygem non solum indignatum, sed etiam timore commotum (ἀρρωδέων) recusasse narrat. haud sine consilio Herodotum, cum eius artem cognoverimus, qua necessaria sola narrantur, haec addidisse intellegemus. poterat etiam dicere Gygem indignatum, quod iniuriam putaret gravissimam, reginam spectare omnino noluisse. videmus autem Gygem non ob hanc rem recusare, sed quia timet, ne sibi malum oriatur. itaque hoc Gygis timore quasi retardari videtur fabula, sed paulo post progreditur. hunc enim timorem solum removendum esse, Gygem diu resistere non posse intellegimus. ex compluribus animi motibus inter se coniunctis atque mixtis is solus eligitur et narratur, quo vel clarissime res explicatur vel fabula movetur. postquam rex timorem refutavit, consilium explicavit, Gyges paratus est. quo animo Gyges haec regis verba acceperit, utrum timor sublatus sit an timoris

quicquam remanserit non narratur; sufficit id unum: Gyges paratus est. deinde Gyges in cubiculum introductus reginam spectat, furtim egreditur. quid sentiat, cum spectet reginam, sitne ei visa pulcherrima, ne id quidem narratur. omnia omissa sunt, quibus fabula non progreditur, id solum narratur, quo περιπέτεια efficitur: Gyges egrediens a regina conspicitur. postero die Gyges ad reginam vocatur. paeniteatne eum facti, an eat securus, nos quaerimus; Herodotus narrat: ὁ δὲ οὐδὲν δοκέων αὐτὴν τῶν πρηχθέντων ἐπίστασθαι ἦλθε καλεόμενος· ἐώθεε γὰρ καὶ πρόσθε, ὅκως ἡ βασίλεια καλέοι, φοιτᾶν (c. 11). etiam haec verba consulto dicta sunt. si Herodotus haec non addidisset, nonne, cur Gyges culpae sibi conscius securus ad reginam accedere posset, interrogaremus? necessaria igitur sunt non solum ad Gygis animum explicandum, sed etiam, ut fabula veri similis sit. eadem, quam antea exposuimus ratione, cum regina aut Gygi aut Candauli moriendum esse dixerit, ex Gygis animi motibus eliguntur hi: τέως μὲν ἀπεθώμαζε τὰ λεγόμενα, μετὰ δὲ ἱκέτευε μή μιν ἀναγκαίῃ ἐνδέειν διακρῖναι τοιαύτην αἵρεσιν (c. 11). sunt ii, qui, ut ita dicam, vel in eius ore spectari vel oculis possunt perspici. nihil accipimus, quo animo sit erga reginam, minime, quo animo erga Candaulem, id unum audimus eum coactum recusare non potuisse.

De regina nil certi accipimus prima fabellae parte, nisi quod pulcherrima putatur, nihil de eius animo, tacita venit, tacita exuit vestem. sed ubi ipsa agit, ubi tota fabula ab ea movetur, eius animi affectus afferuntur necessarii ad res futuras explicandas. brevissimis, sed clarissimis verbis res subito illustratur: μαθοῦσα δὲ τὸ ποιηθὲν ἐκ τοῦ ἀνδρὸς οὔτε ἀνέβωσε αἰσχυνθεῖσα οὔτε ἔδοξε μαθεῖν, ἐν νόῳ ἔχουσα τείσεσθαι τὸν Κανδαύλεα (c. 10). quantopere pudorem laesum esse senserit, quomodo mariti amor pugnet cum ulciscendi studio, quo animo in Gygem sit, quo in maritum, non narratur; tota impleta esse videtur una ulciscendi libidine.

Quoniam de singulis personis quaesivimus, iam quomodo complures coniunctas inducat Herodotus spectandum est. in hac fabella tres personae sunt, quarum Candaules primas, regina secundas, Gyges tertias partes obtinere potest videri. sed aliter res se habet: non is est πρωταγωνιστής, qui summa utitur potestate, sed de quo plurimum narratur, Gyges; alterum locum tenet regina; Candaules minoris momenti est. tamen haec res intra fabellam ipsam mutari potest: πρωταγωνιστής is est, qui in plurimis fabellae partibus plurimum commemoratur, a quo audientium animi plurimum delectantur vel moventur. maximi autem momenti hoc est, quod, si omnes tres personae in scaena sunt — nam quasi in scaena actam fabulam fingendam esse iam ex multis orationibus videmus —, semper una sola cum altera agit, tertia evanuisse videtur. quocum cohaeret hoc: priusquam persona quaedam agat, saepissime non commemoratur, quin etiam videtur non adesse; eodem modo, postquam egit, statim ex oculis effugit. exempla nonnulla affero. Candaules, postquam Gygi persuasit et eum in cubiculum introduxit, cum nullius iam momenti sit ad fabulam continuandam, non commemoratur. tum demum eum adesse narratur, cum necessarius est, et hoc loco nil aliud narratur nisi eum cubitum isse. Gyges, quia semper fabulam movet, semper in scaena est. quod regina priore fabulae parte in scaena non est, ex ipsa re intellegitur. tum ingressa cum Gyge, quem non videt, in scaena videtur esse, Candaules non commemoratur. postea regina adest caedi, primum cum Gyge agit, cui pugionem dat, quem collocat; deinde, ubi rex advenit cubitum, regina evanuisse videtur. quia omnium oculi versantur in Gyge atque rege exspectantium quid sit futurum, regina hoc loco partes iam non agit, nil de ea audimus, quamquam Gygem spectat interficientem regem.

Sed uno loco etiam plures personae introducuntur: servi reginae fidelissimi, qui ideo commemorantur, ut Gyges se reginae resistere non posse videat. quod non expressis verbis introducuntur, quod non agunt, quamquam

adsunt. id ea re explicatur, quia servi sunt, qui nil sentiunt, nil agunt, nisi domina iis utitur.

Cum hoc loco, quantopere differant servi a dominis videamus, ipsas fabellae personas inter se non differre videmus: rex et Gyges et regina eodem modo colloquuntur atque loquuntur tamquam sint Graeci.

---

3. DE PERSONARUM ORATIONIBUS.

Iam fabellae speciem atque formam spectans maximam partem personarum orationibus expletam esse videbis. orationes, quae plurimum valent in fabellis Herodoteis, magna arte compositae sunt. cuius artis summa lex symmetria est. primo loco universas huius fabellae orationes spectantes symmetriam cognoscimus hanc. (sex orationes in hac fabella exstant, quarum duas partes I—III, IV—VI cognoscimus).

I. (regis oratio) rex adhortatur; Gygi persuadere conatur.	II. (Gygis or.) Gyges recusat	III. (regis or.) recusatio refutatur; consilium exponitur.
IV. (reginae or.) regina adhortatur; Gygem cogit.	V. (Gygis or.) Gyges consilium petit a regina	VI. (reginae or.) consilium exponitur.

Quae harum orationum structura sit, quae res his orationibus contineantur atque efficiantur, nunc accurate est quaerendum.

I. Candaules Gygi, ut reginam spectet nudam, vult persuadere.

II. Gyges reginam pulcherrimam esse concedit, recusat, a rege, ne postulet hoc, petit. magna pars huius orationis recusationem continet Gygis, qui consilium demens repudiare videtur.

III. Candaulem timorem, quo Gyges retinetur, removere antea vidimus. nil supervacanei in his orationibus narrari cognoscimus ex hac re. totum argumentum, totus fabulae progressus in tempus tam angustum coartatur, ut temporis momentum Gygis recusatione amissum quasi compensetur. nos enim Candaulem ex Gyge, cur recusaret, quaesiturum esse exspectaremus, sed talia, quibus nil efficitur ad fabulam continuandam, negleguntur. quam ob rem hac oratione Candaules non solum Gygis timorem tollit, sed etiam consilium dat, quod Gyges ab eo non petivit. his duabus huius orationis partibus, quae partes sunt, quamquam optime coniunguntur, non modo Gyges pingitur animo fluctuans atque consilio egens, sed etiam orationum compositarum ars nobis ostenditur. licet enim satis fuerit hac oratione Gygis timorem tollere, nonne haberemus punctum quoddam, quo fabula nec progrederetur nec regrederetur? quia hoc vitare summa Herodoteae artis regula videtur, Candaules, quamquam consilium accuratissime expositum suum locum non habet, nisi antea Gyges regis voluntati cessit, tamen iam hoc loco addit consilium. qua de causa Gygis assentientis oratio, qua nihil efficeretur, omittitur et Herodotus eum paratum esse postea brevissime dicere satis habet.

IV. Facta est res. regina Gygem ex duabus viis unam eligere cogit. nulla ambage praemissa statim id regina exponit, de quo totus fabulae progressus pendet, et res gravissima modo narrata repetitur, ex quo, quanti momenti sit, intellegimus.

V. Gygem hac oratione recusare fortasse exspectaremus. sed hoc non fit, quamquam eum, ne sibi alterum utrum esset eligendum orasse, nil assecutum esse, se necaturum esse regem promisisse Herodotus narrat. sed Gyges hac oratione solum qua ratione facinus sibi perpetrandum sit interrogat et

VI. regina regem eodem modo atque ex eodem loco, unde Gyges spectaverit reginam, dormientem interficiendum esse respondet.

Quam ob rem Gygem recusasse narratur tantum, non ipse oratione recusat? si Gyges recusaret, statim hac re nil effici posse intellegeremus; nam cum Gygi hoc loco recusandi facultas adempta sit, recusatio supervacanea est. aliter res se habebat in illa secunda oratione. illic Gyges recusans totam fabulam poterat retinere, hic, utrum recuset necne nullius momenti est: cogitur. Gyges igitur quo modo sibi facienda sit caedes quaerit. laediturne hac variatione structurae symmetria? minime. oratio sexta excipere poterat quartam, id quod in tertia oratione videmus, quae excipit secundam. licet sexta continuatio sit quartae, Gygis oratio, quia recusatio hoc loco ex Herodotea narrandi arte omittenda erat, supervacanea est. quare, ne deleretur symmetria, ab Herodoto haec quinta oratio ita composita et inter duas reginae orationes posita est. quo modo symmetria non deletur, tamen non plane eadem ratione singulae partes inter se respondent, sed artificiose variantur.

Iam videamus qua ratione colloquium narratum sit, quomodo dialogus ab Herodoto componatur. semper duae personae colloquuntur. quod in hac fabella consentaneum erat, quia neque regina colloquio inter Gygem et regem neque rex colloquio inter Gygem et reginam habito interesse poterat. sed verum dialogum non exstare iam orationum numerum spectantes intellegimus. semper alter suadet, alter respondet, deinde iterum prima persona loquitur et rem ad exitum ducit. quam formam (a b a) videmus in orationibus I.—III. adhibitam. non aliter res se habet in orationibus IV.—VI. regina loquitur (a), sed quae Gyges respondet recusans atque regina dicit eum refutans, non modo, quod his verbis nil effici posset, sed etiam quod orationum numerus nimium augeretur, ab Herodoto negleguntur. deinde Gyges petit (b), regina dat consilium (a). etiam hic habemus formam a b a. dialogus saepe hac re sola significatur, quod orationum initio contrahitur id, quod ab altero erat dictum. sed plerumque eius, qui antea dixit, verba re vera non respiciuntur. exempla

affero: Candaules Gygi, ut facultatem sibi paret spectandae reginae nudae, suadet. quod consilium Gygis orationis initio breviter repetitur (κελεύων . . . γυμνήν), sed postea non tam, cur Gyges recuset. narratur. sed cur omnino sit recusandum. gravissima duo praecepta generalia sola ponuntur. spectemus orationem quartam. si verus dialogus esset. regina. quia eum exeuntem e cubiculo viderat. se vocavisse eum diceret. sed initio gravissimum exponitur. postea causae afferuntur. regina se eum vidisse omnino non dicit. deinde Gygis orantis verbis omissis dialogus in artius contrahitur. neque in sexta oratione regina respicit Gygis verba recusantis atque orantis. etiam ad id, quod Gyges interrogaverat: quomodo nos ei insidiemur? regina respondet solum: ὑπνωμένῳ . . . ἡ ἐπιχείρησις ἔσται. quibus verbis consilium accurate expositum esse nemo dicere potest. quid ipsa actura. quomodo Gyges interfecturus sit regem, non dicit. ars est narrandi. qua non orationes verae. quales habentur, finguntur. sed coartatae ita, ut res praecipuae levioribus omissis in luce clarissima ponantur. atque numquam orationis partem cuiusvis personae narratam esse videmus, deinde interruptam ab interrogante altera persona (stichomythia ne cogitari quidem posset in fabella atque dialogo Herodoteo) sed semper continuatione orationum omnia tractantur.

Res tractantur his orationibus. non affectus. hoc cohaeret cum eo, quod omnino affectus vel non ostenduntur vel breviter significantur. ex personarum verbis affectus non cognoscuntur. si modo iudicamus ex nostrorum temporum consuetudime. nam in prima oratione. quid de regis animo, quid de eius libidine cognoscimus? hoc solum dicit: cum verbis meis non credas. reginam specta nudam. ne uno quidem verbo, quantopere hoc sua intersit. rex dicit. etiam in tertia oratione. qua explicatur consilium. nihil audimus de regis affectu. et quis est. qui ex Gygis verbis in secunda oratione allatis quid sentiat cognoscat? reginae iniuriam fieri, a rege scelus committi

ostendit, sed quid ipse sentiat omittit. credo tibi, inquit, et oro te, ne hanc iniuriam me committere iubeas. sed affectum Gygis timore perturbati nisi ex Herodoti verbis non cognoscimus. quamquam igitur timor maioris momenti est (qui solus a rege respicitur) quam alterae duae rationes, tamen Gygis verbis non exprimitur. denique ex reginae orationibus, quis est qui cognoscat, quantopere violata sit, quam aegre ferat iniuriam mulieri atque uxori allatam? suam voluntatem claris verbis exponit: aut regem occide aut ipse morere, ne uno quidem verbo quantopere mota sit significat. idem cadit in Gygis orationem (quintam). se invitum necaturum esse regem ipse dicit, sed quanto dolore affectus sit, quam graviter ferat necessitatem pietatis laedendae, ex Gygis verbis non cognoscimus.

---

4. DE FABELLAE ARGVMENTO ATQVE STRVCTVRA.

Herodotus hac fabella, quomodo Mermnadarum gens Heraclidis successerit ac Lydorum regnum occupaverit, narrat. sed domesticae potius discordiae quam res publice gestae narrantur. Candaules non tam Lydorum rex est quam maritus, Gyges mariti familiaris, uxor non tam regina quam mulier, cuius pudor a marito eiusque familiari laeditur. quibus rebus ex historia facta est fabella. videamus, quomodo fabellae argumentum sit narratum. poeta nos non ducit mediam in rem, sed quae facta sint ante ipsam fabellam primum breviter exponit. ipsa fabella orditur a Gygis colloquio cum rege habito. quae antecedunt, prooemii vel prologi vicem gerunt. priusquam colloquium habeatur, comperimus: Candaules, ultimus Heraclidarum, amat uxorem, quam putat pulcherrimam esse mulierum. Gygi, comitum dilectissimo, Can-

daules mulieris pulchritudinem praedicavit. quibus praemissis ipsa fabella narratur. deinde, quae secuta sunt, narrat Herodotus: ἔσχε δὲ τὴν βασιληίην καὶ ἐκρατύνθη ἐκ τοῦ ἐν Δελφοῖσι χρηστηρίου. haec narrantur cap. 13., quod epilogi loco additur.

Quibus expositis spectemus, qualis fabellae structura sit.

A. Candaules Gygi suadet, auctor est facinoris.

B. Gyges primum recusat, deinde obsequitur, fabula brevissimo spatio intermisso progreditur.

C. Haec fabulae pars a Candaule impulsa finitur, περιπέτεια fit. alter fabulae actus incipit, cuius primas partes agit regina.

D. Gyges recusat, sed etiam hoc loco brevi tempore vincitur, fabula progreditur.

E. Candaule interfecto fabula finita est.

Fabulae structuram symmetria artificiose expositam esse cognoscimus.

Spectantes, intra quod temporis spatium fabulam actam esse Herodotus fingat, videmus: primo die Candaules et Gyges colloquuntur, cuius diei vespere Gyges reginam spectat nudam, insequentis diei prima luce regina Gygem vocat, nocte rex interficitur. duorum igitur dierum finibus fabula continetur, in brevissimum temporis spatium coartatur.

Aliud etiam afferam. Candaulem propter libidinem perisse Herodotus non satis habet narrare, sed addit: χρῆν γὰρ Κανδαύλῃ γενέσθαι κακῶς. idem igitur e duabus causis et ex ipsius animo et fato divino repetit.

Ut hoc loco, quomodo cum fato divino viri animus congruat ostendere Herodotum iuvat, ita etiam, quae forte congruunt, commemorare eius interest. ex quo loco Gyges reginam spectavit, ex eodem rex necandus est. qua re dilucide ante oculos ponitur poenae et facinoris conexus. locum igitur, ex quo impetus fiat, alicuius momenti videmus esse. accurate describitur: pone postes Gyges est, prope portam sella stat, in qua regina exuens vestimenta

ponet. quo facto in lectulum iens aversa Gygi fugiendi facultatem dat. sed quo loco colloquium inter regem et Gygem, quo loco inter Gygem et reginam habitum sit, non audimus. similem rationem in Herodoti narrationibus saepius agnoscimus: locus, nisi ad fabulam continuandam necessarius est, omnino non describitur. atque in describendo gravissima sola commemorantur.

Postquam, qua ratione atque arte haec fabella de Gyge tradita narrata esset, demonstravimus, singulas narrandi artis regulas atque leges pluribus exemplis Herodoteis comprobemus et exemplis ex poesi aliarum nationum allatis explicemus.

Cum omnia, quae exstant, exempla afferre longum sit, pauca eligamus eaque gravissima, quibus artem illam optime illustrari putamus.

II.

1. DE FABELLARVM PERSONIS.

a. De personarum forma atque habitu.

Magnopere Herodoti narrandi ars a ratione nostra differt eo, quod numquam personarum formam atque habitum accurate descriptum videmus esse. utrum pulchra sit persona necne, utrum iuvenem an senem se praestet, quali vestitu, quali forma ornata sit non narratur. quae res eo magis animadvertenda est, quod aliis operis locis, quantopere barbari differant a Graecis forma atque vestitu, Herodotum accuratissime commemorare legimus[1]). Hero-

1) Exempla affero: I, 135 Persarum vestimenta breviter describuntur. clarissimum exemplum exstat VII, 61—95, quo loco 61 gentium, quibus Xerxes praeerat, vestimenta omnia breviter afferuntur. quibus addo, quae de Aegyptiis II, 36, 37, de Aethiopibus III, 22, de Scythis IV, 64 narrantur.

dotus talibus rationibus in narrandis fabellis non utitur. illa historicus notat, fabellas narrat poeta tradita usus narrandi arte, qua, quae non necessaria sunt, non commemorantur et audientibus excogitanda committuntur. sed nonnulli loci excipiendi esse videantur. nonne Herodotus Arionis vestitum commemorat (I. 24)? nonne Democedem pannis obsitum inducit (III. 129)? at his locis forma et vestitus aliquid valet ad fabulae actionem intellegendam. saepe pulchritudo cum magnitudine coniuncta commemoratur (I. 60. 112. 199; III. 1. 3. 20; IX. 96; V. 12. 56; VII. 12. 187; IX. 25). et hac formula corporis virtutes brevissime significari solent. quae formula, quantopere Herodoto in deliciis sit, ex duobus locis apparet, quibus etiam piscis (III. 42) et factum quoddam (IX. 78) iisdem ornantur verbis. rarius pulchritudo sola affertur (I. 8; II. 135; V. 18. 47; VI. 127. 61 (VII. 117)). at omnibus his locis non, ut personae describantur, corporis forma affertur, sed quia ea aliquid efficitur. falsa Minerva ob magnitudinem pulchritudinemque Atheniensibus visa est dea (I. 60). ob corporis formam mulier, ut Darei oculos in se convertat, elegitur (V. 12). Cyrus puer pulcher magnusque mulieris misericordiam movet (I. 112). mulieres pulchrae appellantur, cum pulchritudine Persarum libido incitetur (V. 18). eodem modo iis locis, quibus personarum vestitus commemoratur, semper aliquid valet. Arion vestitu, qui decet citharoedum celeberrimum, ornatus fingitur, ut eum a deo servatum esse credamus et ut Corinthum reversus nautis improbis subito apparens ὥσπερ ἔχων ἐξεπήδησε maiorem terrorem iniciat (I. 24). Democedem pannis obsitum oneratumque catenis videmus, ut misericordia moveatur (III. 129). Alcmeonis pallium atque caligae commemorantur, quippe quibus in auferendo auro utatur (VI. 125). mulieres quam pulcherrime ornatas videmus, ut in se convertant virorum oculos et ceteris excellant (V. 12; IX. 76). sed satis sit exemplorum, quibus formam atque vestitum non commemorari, nisi necessaria sunt ad fabulam, si commemorantur, breviter

significari, non accurate describi comprobetur. etiam in fabulis aliarum nationum cognoscimus hanc narrandi rationem. fabulatores Hebraei Veteris Testamenti ipsi quoque narrant non describentes hominum formam atque vestitum[1]).

Etiam in evangeliis Novi Testament Iesum numquam descriptum videmus[2]).

Ab Homero viros fortissimos, antequam rebus gestis excellant, describi videmus[3]).

Sed etiam in fabulis popularibus nostrae aetatis non tam describi solet pulchritudo, quam ostendi, quantopere alii pulchritudinis aspectu moveantur[4]).

---

b. De personarum affectibus.

Quibus qualibusque affectibus personarum animi permoveantur, accurate describere Herodoti non est. si

---

1) cf. Gunkel, p. 39: „Ebenso sind die Erzähler merkwürdig sparsam in der äußeren Beschreibung der Personen: sie verraten uns nichts über Haar, Hautfarbe, Augen oder über ihre Kleidung. In alledem setzen sie den gewöhnlichen hebraeischen Typus als selbstverständlich voraus. Wo sie aber einmal von diesem Gesetz der Darstellung abweichen, geschieht das immer aus ganz bestimmten Gründen: Esau ist rot und zottig (25, 25) offenbar als Vorbild des Volkes, das man mit ihm zusammenbringt; Joseph trägt seinen Ärmelrock als Zeichen der Liebe seines Vaters (37); Lea hat matte Augen, weil Jaqob sie ebendarum verschmäht (29, 17).“

2) cf. Wellhausen, Einleit. in die drei ersten Evang. ², Berl. 1911, p. 38: „Über sein Aussehen wird keine Angabe gemacht, nicht einmal über sein Alter, so viel auch darauf ankommt, ob man sich ihn ganz jugendlich oder als erfahrenen Mann vorstellen soll.“

3) cf. Hedw. Jordan, Der Erzählungsstil i. d. Kampfszenen der Ilias, Diss. Zürich, 1904, p. 6: de Paride (Γ 15), de Chryse (Α 14); p. 18: de Diomede (Ε 2 sq.).

4) Venustum exemplum affero ex fabellis Germanicis (Grimm, K. H. M. No. 1): „Die jüngste war so schön, daß die Sonne selber, die doch so vieles gesehen hat, sich verwunderte, so oft sie ihr ins Gesicht schien.“

omnino affectus commemorat. satis habet quam brevissime uno verbo significare. irati homines inducuntur (θυμωθέντες III. 32. 34; IX. 111), gavisi (ἡδόμενοι, περιχαρεῖς III. 32; IX. 109), timore commoti (φοβηθέντες, καταρρωδήσαντες I. 107. 34), dolore, misericordia impulsi (συντεταραγμένοι, κατοικτίραντες I. 44. 45; III. 119). plura afferre opus non est: uno verbo animi motus brevissime significantur.

Ii affectus, qui magni momenti ad fabulae actionem movendam sunt, non prius afferuntur, quam ad actionem pertineant. quod, cum discrepet a nostra narrandi ratione, exemplis mihi probandum est. Atys, Croesi filius, non dolet, cum pater arma removet, eum bellando atque venando arcet, sed cum Mysi adsunt, quibuscum venaturus est (I. 37). Adrastus quantam gratiam habeat Croeso, a quo expiatus est, non prius audimus, quam beneficium malo facinore pensaturus sit. quantopere doleat commisso scelere non ubi facta est caedes, videmus, sed cum ad Croesum reversus concitat eius misericordiam (I. 45). Pisistrati uxor quid sentiat de iniuria sibi allata non narratur, ne matris quidem affectum a filia iniuriam comperientis cognoscimus, sed pater demum de hac re certior factus indignatus irascitur, qui ulturus scilicet conflat seditionem (I. 61)! pastoris uxorem gravidam, quod maritus ab Harpago vocetur, sollicitam esse non audimus, cum exiturus est pastor, sed postquam revertit et de puerulo narrandi occasio data est (I. 111). Harpagus, quid sentiat, non ubi Astyages ei Cyrum mandat necandum, sed cum consilium exponit uxori, cognoscimus (I. 109).

Soli ii affectus afferuntur, quibus fabula movetur. sed quid fit affectibus duobus vel pluribus mixtis vel certantibus? unus eligitur, qui hoc loco maxime necessarius est, ceteri negleguntur. velut Croesus Atye necato dolere videtur non tam, quod filius necatus est, quam quod is eum necavit, quem ipse expiavit (I. 44): invocat deum et queritur non filii mortem sed iura divina laesa. cum Atyos corpus apportatur, nihil audimus de eius dolore, sed „eum miseret Adrasti“ et „filium sepelit“.

num patrem filio necato minus doluisse quam regem iuribus divinis laesis credamus? minime. sed de eius filii amore in priore fabellarum parte (c. 34—42) satis narratum est. in secunda parte Atys mortuus evanescit, agitur de Adrasto. ad fabulam continuandam nihil interest narrare de mortuo Atye, plurimum de misero Adrasto. Croesi varii affectus non depinguntur, sed eligitur solus is, qui nunc necessarius est ad fabulam. Periander, quocum Arionem diuturna amicitia coniunctum fuisse accipimus, cum Arion revertitur, Arionem antea omnino non vidisse videatur, quippe quem dubitans de fide eius custodiri iubeat (I, 24). sed Periander eo temporis momento iudex est, qui prudentissimum se praestet, non amicus. etiam pastoris uxor adeo Cyri amore impulsa est, ut hoc solo affecta matris amorem vel dolorem abscondisse videatur (I, 112). e compluribus affectibus is, quo carere potest fabula, omittitur. quae consuetudo quam sollemnis sit Herodoto, ex eo intellegimus, quod etiam tum affectus non necessarii negleguntur, cum neglegi nullo modo eos posse ex nostrorum temporum sentiendi ratione exspectamus. gratias iis, quorum beneficiis usi sint homines, actas esse interdum non narratur, cum postea referentes gratiam videamus (I, 35; III, 140). magis miramur, quod ne patres quidem, cum filii a crudelibus tyrannis vel militibus necati sunt, quantopere animis percussi sint, narratur (III, 11, 35; IV, 84; (VI, 139); VII, 39). miramur, quod mariti dolor, cum uxor rapta vel deperdita sit, non affertur (VI, 62; IX, 113). causa est haec: postquam res facta est, non opus erat narrare de affectibus, quibus iam nil effici poterat atque mutari.

Pro affectibus descriptis saepe, quae res ab hominibus gestae sint, narratur. Cambyses Croeso suadenti non irascitur, sed arcum capit (III, 36). Dareus non gratus est, sed gratiam refert Sylosoni (III, 141). Masistes non dolore affectus est, sed ulciscitur (IX, 113).

Alibi non affectus describuntur, sed gestus ex affectibus procreati eorumque testes. cuius rei, quam gravissi-

mam puto ad intellegendum, quomodo volgus sibi fingat hominum animos affectibus motos, plura exempla afferre mihi liceat. homines maerore atque dolore affecti lacrimas profundunt (III, 32, 66; VI, 21; IX, 16). Intaphernis uxor flens lamentatur (III, 119). Persae, ubi Cambysem lacrimantem vident, lamentantur et vestimenta scindunt (III, 66); idem faciunt nuntio cladis Salaminiae accepto (VIII, 99). Croesus, cum flammae vim non exstingui videat, exclamat (I, 87). fur, ut praebeat se maestum, exclamans caput plangit (II, 121). etiam Psammenitus, cum videt sodalem mendicantem, lacrimat, eius nomen exclamat, caput plangit (III, 14). exclamando atque de sella exsiliendo homines ostenduntur dolore (VII, 18), indignatione (III, 155), timore (VII, 212) commoti.

His variis doloris gestibus pauciores respondent, quibus laetitia ostenditur. Cambyses, postquam Prexaspis filium necavit, cum patre collocutus ridet (III, 35). Croesus ridet, cum videt Alcmeonem aurum vestimentis atque caligulis auferentem (VI, 125). laetitia ipsa raro risu significatur, qui saepius est mirantis. Cyrus Croeso, ut sibi liceat accusare Apollinem Delphicum, rogante ridet (I, 90): barbarus est rex, qui ridet deum Graecum vel Croesi religionem. Xerxes, cum Lacedaemonii, ut sibi satisfaciat, postulant, ridet: Persarum rex Lacedaemoniorum ridet arrogantiam (VIII, 114). Pausanias ridet Lacedaemoniorum epulas comparans cum Mardonii atque Persarum (IX, 82): homines non laetantur, sed mirantur ea, quibus risus movetur.

Notandum est etiam hoc. Croesus, postquam servatus est, non laetatur, quod ipse servatus, neque maeret, quod regnum deperditum sit, sed tacet (I, 88); Xerxes Lacedaemoniis postulantibus aliquamdiu non respondet (VIII, 114); Astyages, cum Cyrum agnoscit, paulisper loqui non potest (I, 116); Psammenitus, cum filium filiamque captos praetereuntes videt, oculis humum deiectis tacet (III, 14). affectibus inter se pugnantibus vel affectuum magnitudine adeo homines motos videmus, ut ad eos exprimendos

aliquantum temporis opus sit. Psammenitus ipse dicit maerorem suum maiorem esse quam ut lacrimis levari possit.

Ex his exemplis saepissime pro affectibus gestus poni intellegimus.

Talis narrandi ratio, quam volgata sit, exemplis aliarum nationum demonstrare mihi liceat, quibus ea potissimum narrantur, quae oculis se praebent. afferam, quae poeta de fabulis Germanicis egregie dicit[1].

Quibus exemplis non modo eandem originem gestus habere, sed etiam, quam simplicem vel typicam narrandi rationem Herodotus sequatur, cognoscimus. atque gestus, quamquam diversi sunt apud diversas gentes, tamen simillimi sunt.

Puellam Germanicam, quae septem annos deserta cum amato adulescente coniungitur, laetitiam alio modo ostendere[2] ac Polonicam[3]) mirum non est. sed Penelope, cum maritum adesse audivit, de lecto exsilit et aniculam complexa lacrimas fundit[4]. et Iosephus fratrum natu minimum complexus lacrimat (Genesis c. 45,14). in fabellis

---

1) cf. Uhland, l. l. p. 395 sq.: „Reich ist unser epischer Stil an kurzen aber ausdrucksvollen Bezeichnungen der Gemütszustände durch äußere Haltung und Geberde. Schweigen ist Ausdruck der Mißbilligung, des Bedenkens .... Stummes Ansehen bedeutet Frage, Befremdung; Niedersehen Unmuth, Aufsehen Freude ... Bleich und roth werden verrät die innere Bewegung, den Wechsel von Furcht und Hoffnung, Leid und Freude. Lachen ist Äußerung der Fröhlichkeit, des Wohlgefallens, des Erstaunens ... Vom Weinen werden lichte Augen rot, Helden sieht man Thränen über die Bärte gehen: Frauen fallen Thränen in den Schooß, wird das Gold der Brust von Thränen getrübt. Überlaufen der Augen bezeichnet den ersten Anfall des Schmerzes, Blutweinen den letzten, gewaltsamsten Ausdruck. Hände werden gerungen, Dietrich beißt sich ein Glied aus der Hand ..."

2) cf. Böckel, Psychologie der Volksdichtung, Lpz. 1906, p. 274: „Sie weinte, daß das Ringlein floß".

3) „Sieht ihn, springt zu ihrem Schatze, Über vier Tische mit einem Satze, Stößt den fünften um mit dem Fuße ..." (l. l.)

4) cf. Finsler, Homer, Lpz. 1908, p. 339.

Germanicis laetitia iisdem gestibus ostenditur[1]). etiam hic videmus, quod apud Herodotum notavimus: laetitiam ridendo rarissime significari. risu potius hominem mirari aliquid ostenditur: Sara ridet, cum tres viri eam filium parituram esse dicunt (Genes. c. 18,12). homines dolore atque maerore affecti lacrimas effundunt. puellae Germanicae summum dolorem cognoscimus lacrimis expressum[2]).

Aliter orientales et Graeci antiqui dolorem ostendunt: vestimenta scinduntur (Genes. 37, 29; 34; 44,13); Priamus filiique pulvere conspersi in aula lamentantur (Finsler, p. 337: Il. 24. 160). Esau vehementissime exclamat Iacobi iniuria maestus (Gen. 27,34). ululando atque lamentando homines orientales atque antiqui dolorem levare conantur. quo remedio uti homines iuvat: lamentando quasi delectantur (Finsler, p. 338: Il. 23. 14; 108, 153; 23, 10, 98; 22. 427; 24. 716). quocum comparandum est, quod in carminibus Anglosaxonum virorum lamentatio nominatur atque celebratur carmen. quo delectantur atque sedantur audientium et pronuntiantium animi[3]).

---

1) cf. Grimm, K. H. M. No. 15: „Wie haben sie sich gefreut, sind sich um den Hals gefallen, sind herumgesprungen und haben sich geküßt!"

2) cf. Böckel, l. l. p. 275: „Sie wußte nicht in Wahrheit, ob sie lebte oder nicht, ihre Zähren brachen mit Macht hervor und machten sie bald blind". Alibi summum dolorem hoc simplici modo narratum videmus: „Das Mädchen wandte sich um und um, mit Weinen ging sie davon".

3) cf. Heinzel, Über den Stil der altgerm. Poesie p. 23: „Von Ausbrüchen des Schmerzes, des Jammers wird sehr häufig wie von einem poetischen Klagelied gesprochen, das der Unglückliche anhebe, so Beowulf 787 von dem höllischen Dämon Grendel, dem Beowulf den Arm ausgerissen. Die Dänen hörten Gottes Widersacher ein Grauenlied singen, einen sieglosen Gesang. Oder in einem jüngeren Teile des Gedichts 2447, wenn **ein Vater seinen Sohn wegen Brudermord** hangen läßt — hebt er ein Lied an, einen traurigen Sang . . . Es liegt in dieser Vergeistigung des Sinnlichen, in dieser Poetisierung des Schmerzes, ja des bloßen Schmerzensschreies, wie bei Grendel, ein deutlicher Gegensatz zu jener skandinavischen Weise, Gemütsvorgänge bloß durch ihre sinnlichen Wirkungen zu zeichnen".

Iram cognoscimus ex corporis specie vel ex iis rebus, quas irati faciunt. Agamemno surgit et ex eius oculis ignis lucet (Finsler, p. 336: Il. 1, 103). Germanicae mulieres iratae monile atque catellam proiciunt et ianuae fores vehementissime claudunt [1]).

Lacrimis omnes fere affectus significantur: et laetitia et dolor et pavor et timor. Homericos homines facillime, ut lacrimas effundant, commoveri Finsler exponit (p. 336). etiam Hebraei omnibus fere magnis animi motibus affecti lacrimant (cf. Genes. 43, 30; 45, 2, 14; 48, 50).

Ignavus colorem mutat atque angitur (Finsler, p. 335; Il. 13, 277). timidus atque perterritus fit pallidus (Grimm 6: „Die Königin ward bleich und erschrak im Herzen"); non potest loqui (Genes. 45, 3: Finsler, p. 339: Od. 4, 703) vel cor palpitat (Grimm 1: „Der König sah wohl, daß ihr das Herz gewaltig klopfte": 3: „Die Angst wollte auch nicht wieder weichen, es mochte anfangen, was es wollte, und das Herz klopfte in einem fort und wollte nicht ruhig werden").

Amor plerumque non describitur, sed adulescens statim puellam ducit uxorem. aliis locis amantium oscula commemorantur vel puella erubescit (Grimm 92: „Und dann fiel sie ihm um den Hals und küßte ihn, und war Jubel und Freude im ganzen Schloß" et 179: „Der junge Graf stand neben ihnen, und als sie ihn erblickte, ward sie rot im Gesicht wie eine Moosrose"). atque delectamur audientes adulescentem amore incensum animo deficere

---

1) Heinzel, p. 21: „Gemütsbewegungen pflegen die Eddadichter in der Regel durch sehr drastische Geberden auszudrücken . . . . „Zornig ward da Freyja und schnaubte, der ganze Asensaal bebte unter ihr (das Stampfen aber fehlt) und es sprang ihr großer Halsschmuck" — von den tiefen Atemzügen der wogenden Brust muß man verstehen oder riß sie ihn ab? (Thrymskvidha 14). — Atlamal 44: „Wüthend war da Gudhrun, als sie das Unheil vernahm, geschmückt mit ihren Halsketten: sie schleuderte sie alle fort, sie warf das Silber so, daß die Ringe entzweibrachen. Hinaus ging sie dann, wenig auf die Thür achtend". Das heißt wohl: sie schlug sie zu oder auf".

(Grimm 6: „Und als er das Bildnis der Jungfrau erblickte, das so herrlich war und von Gold und Edelsteinen glänzte, da fiel er ohnmächtig zur Erde nieder". De amore in fabellis tali modo narrato conferenda sunt, quae dixit Ad. Thimme, Das Märchen, Lpz. 1909, p. 130 sq.).

---

c. De personarum animis atque moribus.

Ivo Bruns in egregio illo libro, qui inscribitur Das litterarische Porträt (Berl. 1896, p. 71 sq.), quomodo Herodotus finxerit hominum mores, optime quaerit, accuratissime singulis personis tractatis, quantopere saepe eiusdem personae mores inter se discrepent, quam simplex sit Herodotus in describendis hominum moribus ostendit. sed quamvis laudandam atque ingeniosam, tamen hanc quaerendi rationem haud satis aptam putem ad ea cognoscenda, quae sibi proposuit Herodotus. aptius mihi videtur non modo ostendere, quibus in rebus mores inter se discrepent, sed etiam, cur discrepent interpretari. Bruns Herodoti narrandi rationem examinat historici, qui sibi proposuerit, ut clarissimi cuisdam hominis mores accurate describat, cui descriptioni singulae historiae inserviant. at hae fabellae a fabulatoribus narrantur non ut regis cuiusdam celeberrimi mores accuratissime describantur, sed mores potius fabulae illustrandae inserviunt. primum singulae fabellae narrantur, quarum unaquaque perpauca morum lineamenta inveniuntur. Candaules amat uxorem (I, 8 sq.); Croesus summo amore amplectitur filium (I, 34 sq.); Periander (III, 48 sq.), Cambyses (III, 30 sq.) tyranni sunt saeviendi cupidi. a fabulatoribus una personae virtus singulis fabulis narratur [1]).

---

1) cf. Gunkel, l. l. p. 37: „Aber auch die Schilderung der Hauptpersonen ist nach unseren Begriffen merkwürdig karg. Es sind ganz wenige Eigenschaften, oft nur eine einzige, die ihnen zugeschrieben werden . . . Auch von Gott kennt jede einzelne Geschichte meist nur eine Eigenschaft".

Conferenda est ea ratio, quam in nostris fabellis usitatam videmus. introducuntur homines, qui fortitudine atque animo (Der starke Hans: Grimm 166) vel prudentia atque calliditate (Der Meisterdieb: Grimm 192) vel secunda fortuna (Hans im Glück: Grimm 83) excellunt. velut de eodem rege vel tyranno (ut exempla afferam de Croeso et Periandro) narrabantur fabellae, quae, quamquam de eadem persona traditae, tamen paulum habebant commune. hac fabella fabulator narrabat de Periandro tyranno, qui uxorem necavit atque Corinthias mulieres exui iussit, illa de Periandro sene, qui filii amore commotus erat; hic de Croeso patre fabulans Atyos mortem narrabat, ille, quomodo se beatissimum omnium hominum esse ratus barbarum se praestiterit. quas fabellas olim coniunctas non fuisse etiam ex ea re intellegimus, quod fabulatoris non tam intererat narrare de Croeso atque Periandro quam de eius filio, de Solone, de Melissa, de aliis rebus. neque enim rex protagonista est, sed alius, ad quem potissimum pertinet fabella. —

Deinde a fabulatoribus quibusdam eae fabellae colligebantur, quae eandem praebebant personae speciem, velut cognoscimus Periandrum tyrannum compluribus fabellis descriptum. sed quomodo cohaeret hic tyrannus cum sene filium amante? initio non cohaerebant. qui hanc discrepantiam tollere malit, Periandrum moribus mutatis ad meliorem frugem se recepisse fingat. iam antiqui diversas coniuncturi fabellas, quomodo Periander mutatus esset, ostendebant fabella illa de Thrasybuli consilio narrata (V. 92), quam Periandro adulescente factam esse fingebant. duae diversae rationes in Periandri fabulis agnoscuntur. modo Periander bonus tyrannus est, qui clementissime regnans (ὁ τοίνυν Περίανδρος κατ᾽ ἀρχὰς μὲν ἦν ἠπιώτερος τοῦ πατρός V, 92) citharoedis celeberrimis favebat (I, 24 Arioni, quem Corinthi videmus διθύραμβον πρῶτον ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν ποιήσαντά τε καὶ ὀνομάσαντα καὶ διδάξαντα), magna fruebatur auctoritate (V, 95), uxore interfecta calamitate quadam, quam Herodotus Periandrum

excusans nominat fortunam sinistram (III, 52: εἰ γάρ τις συμφορὴ ἐν αὐτοῖσι γέγονε . . .), filii summo amore commovebatur (III, 53): modo crudelissimus tyrannus (in oratione a Socle habita V, 92).

In fabellis de Croeso narratis longius progressa est componendi ars. nam omnes hae fabellae — etiam quae inter se discrepant — continua serie compositae sunt. sed haec est ars paulatim orta. in brevibus illis fabellis, quas vetustiores esse syllogis illis statuimus, hominum animi atque mores non mutantur. num Herodotus componendi arte usus talem continuum ordinem primus fecit, qualem in fabellis ad Croesum pertinentibus videmus? ex fabellis de Periandro, de Cambyse, de Xerxe, de aliis narratis, quae saepissime minime inter se cohaerent, talem ordinem ab Herodoto factum non esse effici mihi videtur, quamquam certo iudicari non potest: immo Herodotus fabellas traditas accepit, traditarum lineamenta saepissime non mutavit, aut noluit aut non potuit personarum imaginem veri similem accurate describere.

Sed redeamus ad eas fabellas, quas singulas seorsum a ceteris traditas esse statuimus. quis dicat his fabellis pingi veram ac plenam morum imaginem? Herodotus non historici instar de harum personarum moribus narrat, sed agnoscimus potius fabulatorum artem personarum aptos quosdam mores fingentium. Croesus, qui, ne Atys filius moriatur, timet atque Periander Lycophronem revocare studens non tam reges sunt quam patres dilectissimorum filiorum amantes. Astyages, qui necatum filium Harpago edendum proponit et Cambyses, qui Prexaspis filium intuente patre sagitta transfigit (I, 119; III, 35), non tam personae historicae nominibus propriis significatae quam crudelissimorum tyrannorum sunt exemplaria. Croesus Soloni thesauros monstrans se beatissimum esse ratus (I, 32) atque Alcmeonem auro donans (VI, 125) ditissimus est rex glorians divitiis. pauca igitur morum lineamenta ex his fabellis intelleguntur eaque habent typicam vim. hoc eo comprobatur, quod eadem de diversis per-

sonis narrantur. e multis exemplis, quae omnia accuratius tractare longum est, pauca affero. Croesus ille ditissimus coniungitur cum sapientissimo viro: ne ditissimum quidem ante mortem beatum esse demonstratur. ad hoc iudicium probandum filii atrox mors, Croesi ipsius subita ruina narratur. at, postquam servatus est, non iam ditissimus est barbarorum, non iam rex, sed Cyri suasor atque monitor.

Hanc autem suasoris figuram Herodoteam accuratius tractemus, ut intellegamus, qua ratione personae historicae typici exemplaris vicem nanciscantur. primum in fabellis Herodoteis nonnulli ex iis viris, qui postea septem sapientes nominabantur, has agunt partes. veluti Bias vel Pittacus Croeso, ut finem faciat navium exstruendarum, suadet (I, 27). Bias Iones, ut unam urbem in Sardinia condentes libertatem servent, monet (I, 170). Thales, ut Teum urbem caput concilii Ionii faciant, Ionibus suadet (I, 170). priusquam Pisistratus natus est, Hippocrati patri Chilo consilium dat (I, 59). Solo Croesum, ne putet se beatissimum esse monet (I, 29). videmus, ubicumque aliquid discriminis vel calamitatis imminebat, ex sapientibus viris unum consilio prudentiam suam probare. atque animadvertendum est, ut horum virorum rei publicae peritorum postea sententiae potissimum ferebantur, ita non modo Solonis, sed etiam Periandri orationem (III, 53) abundare sententiis. quod sententiarum studium etiam aliorum suasorum proprium est. agnoscitur in Croesi suadentis (I, 207), in Artabani (VII, 10), in aliorum orationibus. Croesus igitur, qui antea barbarus contemnens Solonis sententias fingebatur, postquam servatus est, subito fit suasor, qui Cyro optima dat praecepta. unde autem Croesus Persarum, de quibus recte tractandis docet, naturam ita cognoverit, ut rectius iudicet ipso Persarum rege, frustra quaerimus: suasorem sapientia ceteris praestare consentaneum est. fuerunt, qui Croesi animum calamitatibus mutatum esse statuerent. sed quomodo interpretentur Croesum ex rege, qui non prudentissimum

se praestitit bello cum Cyro suscepto, tam subito sapientiae exemplar esse factum? iam haec suasoris Croesi persona servatur. velut Cyro, ut Araxem flumen transgressus Tomyrim aggrediatur, suadet (I, 207). suasoris est sententiis de hominum vita atque fortuna editis excellere (. . . εἰ δ᾽ ἔγνωκας ὅτι ἄνθρωπος καὶ σὺ εἶς καὶ ἑτέρων τοιῶνδε ἄρχεις, ἐκεῖνο πρῶτον μάθε, ὡς κύκλος τῶν ἀνθρωπηίων ἐστὶ πρηγμάτων, περιφερόμενος δὲ οὐκ ἐᾷ αἰεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν), suasoris est novisse Massagetarum naturam atque quomodo barbari tractandi, qua ratione dolo superandi sint[1]). cum Croesus saevienti Cambysi, ut se coerceat, suadet, sententiam addit suasor: ἀγαθόν τι πρόνοον εἶναι, σοφὸν δὲ ἡ προμηθείη (III, 36). Croeso contra Persas profecturo Sandanis dissuadet (I, 71). apud Persas primas suasoris partes agit Artabanus (IV, 83; VII, 10, 16. 46), quem sequitur Demaratus (VII, 101, 209, 234). sed etiam alios occasione data suadentes his suasoribus similes esse orationibus, quae sententiis atque disputationibus ornatae sunt, demonstratur (III, 40 Amasis; III, 80 Otanes; III, 134 Democedes; IV, 134 Gobryas; VII, 6 Mardonius, alii). qui omnes suasores utuntur typica quadam loquendi atque suadendi ratione. tria potissimum argumenta in talibus orationibus reperiuntur: 1) suasores noverunt hostium naturam, mores, terram, quas res cum suis comparant commodis vel incommodis enumeratis, 2) ipsa consilia afferunt, saepissime, ut dolus adhibeatur, suadent, 3) sententiis atque disputationibus de hominum natura, vita, fortuna allatis orationes ornant.

Quos suasores, cum in Persarum litteris saepissime

---

1) Stein in adnotat. editionis dicit (ad I c. 207, 3 sq.): „Der erste Teil der Rede (3—12) steht außer Beziehung zu der vorgelegten Frage . . . inmitten des Krieges war er zwecklos und im Widerspruch mit dem folgenden Rate. Er scheint einem ersten Entwurfe anzugehören, worin dem Krösus die Rolle eines welterfahrenen Mahners und Warners zuerteilt war . . .“ haec opinio eis, quae modo exposui, rebus refutatur: Croesus etiam hic suasor est, suasoris est talibus sententiis uti. prima pars artissime cum secunda cohaeret.

inveniantur, ex Persicis fabulis Herodotum recepisse fortasse concludere liceat. in Persarum carminibus celeberrimis (Scháh Nameh poetae Firdusi) simillimum Herodoteo (VII, 8 sq.) inveniri consilium Bauer adnotat (Die Kyrossage und Verwandtes, p. 513 sq.). suasores nominantur „Pehlewân". cum Kai Kâôs orbem terrarum expugnare constituat, Zâl Pehlewân, ut cautus sit, suadet. etiam Xerxis somnio ab Herodoto narrato (VII, 12 sq.) alio loco simillimum traditur: Garsévaz hoc loco Artabani partes agit (Bauer, p. 514). alios locos ex Persarum litteris Christ-Schmid (Griech. Litt.-Gesch.[5] p. 442, adn. 6) notat (v. Chalatiantz, Die iranische Heldensage bei den Armeniern, Zts. d. V. f. Vk. 14 (1904) p. 290 sq.). Hmán atque Phiran in multis fabulis suasores sunt (cf. p. 293, 7 et 8). etiam in Persarum litteris posteriorum temporum traditis eosdem suasores invenimus [1]).

---

d. De compluribus personis in scaena coniunctis.

Fabellae Herodoteae quasi in scaena actae fingendae sunt. personarum complurium coniunctarum semper una in media est scaena atque primas agit partes. quam vicem non semper in fabellis de Croeso narratis Croesus, de Cyro Cyrus, de Periandro Periander gerunt, sed alius

---

1) cf. Horn, Die mittelpersische Litt. (Kultur d. Geg. I, 7) p. 237: „Die Belehrung wird mit Vorliebe einzelnen berühmten Ratgebern in den Mund gelegt. So dem großen Scháh Nôschirwân und seinem gefeierten Vezier Buzurgmichr, dem weisen Ôschnar, der aus dem Awesta nur dem Namen nach bekannt ist und später als Minister des Kai Kâôs galt, dem Obermobed Âturpât, Mâràspand und anderen".

et cf. Horn, Die neupers. Litt. (l. l,) p. 260: „Als typische Ratgeber treten in bunter Reihe die mythischen Schâhe Hôscheng und Dschemschêd, ferner Buzurgmichr, Nôschîrwân (Chosrau I.), der Arzt Burzôê, der weise Luqmân u. a. auf".

alia in parte spectantium oculos in se convertit [1]). quod interpretamur ex eo modo, quo fabellas ortas esse supra explicavimus: saepissime non clarissimorum regum nomina, sed fabellarum argumenta priora sunt, quae eadem de diversis hominibus narrabantur, deinde cum clarissimo quodam rege vel tyranno coniungebantur. quare eum, qui summa fruitur auctoritate, in media esse fabula opus non est. potest esse rex celeberrimus, potest pastor esse. velut in fabellis de Croeso et Adrasto, de Croeso in rogo stante, de Periandro et Melissa et Corinthiis mulieribus et Lycophrone narratis Adrastus, Croesus, Periander, Lycophron primas agunt partes; alibi Harpagus (I, 117 sq.), pastor (I, 111), Prexaspes (III, 34), Democedes (III, 129), non Astyages, Cambyses, Dareus.

Idem videmus in aliarum nationum fabulis. ut in carminibus popularibus etiam latrones atque piratae primas agunt partes, non duces eos persecuti [2]).

Ita fit, ut in fabellis saepe, qui initio minimi momenti videntur esse, postea plurimum valeant: fratrum minimi natu. ex Germanicis fabulis popularibus haec narrandi lex constituta est a viris doctis Danicis [3]). duas personas inducere agentes facile est narranti. difficultas oritur pluribus personis in scaena coniunctis. videamus, qua ratione Herodotus utatur. postquam Croesus cum

---

1) Conferas, quae simillima de fabulis Hebraeis exponit Gunkel, p. 36.

2) De latronibus (Lindenschmid), piratis (Klaus Störtebeker, Gödeke Michael) carminibus celebratis cf. Böckel, l. l. p. 353—355.

3) Axel Olrik, Epische Gesetze d. V., p. 7., vir peritissimus fabularum Germanicarum hanc legem exponit: „Wenn eine Reihe von Personen oder Dingen vorkommt, dann wird der vornehmste auf den ersten Platz gesetzt, auf den letzten Platz aber der, der den besonderen epischen Anteil erregt . . . Der epische Schwerpunkt liegt immer im Achtergewicht“. Olrik hanc legem formulis exprimit „Toppgewicht“ et „Achtergewicht“, quae aptissimae formatae sunt a Gudem. Schuttio „forvaegt“ et „bagvaegt“ cf. Oldsagn om Godtjod, 94—117, cf. Olrik Danske Studier, 1907, p. 193—201.

Mysis auxilium petentibus collocutus est, Atys, qui ad fores auscultavit, cum Croeso collocuturus intrat (I, 36). ubi sunt Mysi patre filioque colloquentibus? evanuerunt, adesse non videntur, quamquam eos adesse ex verbo illo ἐπεσέρχεται (c. 37) intellegimus. cum Atys a patre, ut sibi venatum ire liceret, impetravit, Croesus cum Adrasto colloquitur, Atys non iam commemoratur, evanuisse videtur. aliud exemplum affero: postquam Artembares eiusque filius cum Astyage de Cyro conquesti sunt, Cyrus pastorque arcessuntur (I, 115 sq.): quinque igitur personae in scaena sunt. quid fit? Astyages cum Cyro solo colloquitur, ceteri omnes non commemorantur, colloquium eo modo habetur, ut alium interrogare opus non sit. atque postea Astyages interrogaturus pastorem Artembarem eiusque filium et Cyrum dimittit. deinde postquam Astyages a pastore Cyrum expositum non esse comperit, Harpagus vocatus interrogatur. ubi est pastor? ex solo colloquio Astyagis cum Harpago habito eum statim evanuisse concludere liceret, nisi Herodotus eum adesse ipse diceret (ὁ δε Ἅρπαγος ὡς εἶδε τὸν βουκόλον ἔνδον ἐόντα c. 117): quando abierit, non accipimus. satis sit exemplorum. ex quibus haec intellegimus: Herodoteae narrandi rationis lex est haec: quamquam complures personae saepe in scaena sunt, tamen semper duae solae colloquuntur vel agunt, ceterae negleguntur. sed hae duae personae inducuntur quamdiu agunt; ubi egerunt, Herodoti non iam interest eos curare, evanescunt, quia ad fabulam non iam necessariae sunt. personae quasi e tenebris procedunt, paulisper agentes lumine illustrantur, deinde in tenebras recedunt. tum solum eas abire narratur, cum ad fabulam intellegendam necessarium est: ut Astyages et pater soli colloquantur, ceteri dimittuntur. sed duabus personis solis agentibus qui fit, ut tamen plures fabulae participes sint? non omnes simul, sed aliae post alias agunt. non Croesus, Mysi, Atys, Adrastus una collocuti agunt, sed primum Croesus cum Mysis, deinde Atys accedit, tum Adrastus. eodem modo primum Artembares eiusque filius

cum Astyage colloquntur. deinde Cyrus et pastor adveniunt. tum Harpagus arcessitur.

Quae narrandi ratio usitata est in fabulis popularibus. in fabulis Hebraeis Veteris Testamenti duae personae electae agunt vel colloquuntur[1].

Eandem narrandi rationem apud Homerum usitatam esse cognoscimus[2].

Cuius rei causae duae sunt. 1) quam maxime perspicua sit, quam facillime intellegi possit fabula oportet; 2) fabulatores non satis sciunt plures duabus personas inducere simul agentes atque colloquentes. quae ars, quam difficilis sit, etiam ex tragoediis intellegimus[3].

Cum his quos tractavimus locis duae personae eligerentur, quae solae ad fabulam necessariae erant, ceterae omnes evanescerent, nunc, quomodo Herodotus plures duabus personas, quae omnes ad fabulam necessariae sunt, introduxerit, quaeramus. complures videmus narrandi rationes.

Cum singulos homines discernere non intersit, multitudo quasi una persona esse potest. sic servi, nuntii, interpretes loquuntur atque agunt, quasi una persona sint. vel Herodotus omnes deinceps egisse narrat (III, 11; VI, 79; III, 119). interdum partes volgi distinguuntur. Ar-

1) cf. Gunkel, p. 36: „Weitere Einfachheit wird durch die Anordnung erreicht, die . . . die Erzählung zuletzt in lauter kleine Szenen auflöst. In diesen Szenen treten nur sehr selten alle Personen der Erzählung auf einmal auf, sondern es sind immer nur sehr wenige Personen, oft nur je zwei, die uns auf einmal gezeigt werden . . . . Die Erzähler haben aber auch kein Arg dabei, gelegentlich eine Person einfach fallen zu lassen“.

2) cf. Hedw. Jordan, l. l. p. 47: „Es ist merkwürdig, wie eng die Erzählung der Ilias immer ist, wenn eine Menge von Personen mit den verschiedensten Interessen an einem Vorgange beteiligt sind. Der Dichter geht in einem solchen Falle gewissermaßen mit seiner Leuchte reihum. Wer gerade stark hervortritt, auf den wirft er alles Licht, ringsherum ist mehr Dunkelheit als Dämmerung“.

3) cf. Listmann, Die Technik des Dreigesprächs in der griechischen Tragoedie. Diss. Gießen 1910.

givi atque Argivae laudant adulescentes atque matrem (I, 31); in consilio octo regum Scytharum convocato tres reges consentiunt, quinque cum ceteris tribus discrepantes ut unus sententiam dicunt (IV, 119). sed notanda est etiam alia narrandi ratio. ex hominum multitudine unus vel plures procedunt, loquuntur atque agunt, quibus multitudo repraesentatur; ceteri aut consentiunt aut dissentiunt, sed non agunt aut loquuntur. in consilio convocato Croesi solius sententia affertur, ceteri non loquentes inducuntur (I, 207). ex Samiorum (III, 142) atque ex Babyloniorum multitudine (III, 151) unus sermone omnium sententiam explicat. saepe duae personae agunt ceteris consentientibus vel dissentientibus (IV, 137; V, 36). summus numerus ternarius et. exemplum affero: septem viri convocati colloquuntur (III, 80). omnes sententias dicturos esse exspectamus, sed tres soli loquuntur, ceteri cum Dareo consentiunt (III, 83). idem fit in consilio a Xerxe convocato (VII, 8 sq.): ex omnibus Persarum principibus tres soli deinceps loquuntur Xerxes, Mardonius, Artabanus. affero etiam hoc exemplum (V, 92): decem viri Cypselum puerulum interfecturi misericordia commoti hoc modo inducuntur: primus puerulum dat alteri, alter tertio, ceteri omnes coniuncti commemorantur. ex his exemplis hoc satis apparet: Herodotus aut multitudinem fingit, quasi sit una persona, aut ex multitudine eminentes facit unam vel plures personas. numquam plures tribus personis eminent, ceterae summatim coniunguntur.

Similem narrandi modum in narratiunculis Veteris [1]) et Novi Testamenti [2]) a volgo narratis cognoscimus.

---

1) cf. Gunkel, p. 35 „So werden in sehr vielen Fällen, wo eine Mehrheit auftritt, diese vielen als Einheit behandelt: sie denken und wollen dasselbe und handeln der eine wie der andere . . . Es entspricht dies den Zuständen jener alten Zeit, in denen der einzelne sich von der Allgemeinheit viel weniger unterscheidet als in der Gegenwart. Zugleich aber ist dies Zusammenfassen verschiedener Personen durch das Unvermögen der Erzähler horvorgerufen, die vorhandenen Unterschiede unter den Individuen aufzufassen und darzustellen“.

2) cf. Wellhausen, l. l. p. 40: „Unter den dramatis personae

2. DE PERSONARUM ORATIONIBUS.

a. De rebus, quae orationibus continentur.

Orationes Herodoteas magna arte compositas esse, cuius summa lex est symmetria supra demonstravimus, quocum cohaeret, quod repetitio saepe invenitur, saepe eadem verba repetuntur. quae repetitio simplicissima forma est respondentium inter se membrorum. repetitio in fabulis popularibus saepissime invenitur[1]. in fabellis iisdem verbis repetitur[2]. non forte accidit, quod singulae orationum partes inter se respondent atque saepe variatae repetuntur apud Herodotum. nam saepissime non ipsa atque simplex quaedam res sola narratur, sed haec res ex omnibus, qui cogitari possunt, locis spectatur, causae afferuntur atque refutantur, in posterum prospicitur tempus, praeteritum narratur. quam ubertatem, qua orationes ornatae sunt, nonnullis exemplis comprobare mihi liceat. Periander Lycophroni, filio egenti, persuadere conatur his verbis: ἄπιθι ἐς τὰ οἰκία (III, 52). haec summa est. sed quid Herodotus ex hac re finxit? ter eadem repetita variantur. tres illae partes inter se differunt temporibus, ex quibus spectantur; primum ex futuro: Periander, quae bona accepturus sit filius patri parens (τὴν τυραννίδα καὶ τὰ ἀγαθὰ τὰ νῦν ἐγὼ ἔχω) describit: deinde ex praesenti tempore: is, qui regis filius est, mendici vitam degit patri iratus; tum ex praeterito: filius ipse, utrum melius esset,

---

redet und handelt eigentlich immer nur Jesus: die Gegner reizen ihn, die Jünger sind Staffage". p. 145: „Außer Judas Ischariot treten in der Erzählung sowohl der 3 ersten Evangelien als auch der Apostelgeschichte nur 3 von den zwölfen auf, Petrus, Jacobus und Johannes".

1) cf. Behaghel, Zur Technik der mhd. Dichtung, Beitr. z. Gesch. d. deutschen Sprache und Litt. XXX (1905) p. 431 sq.

2) cf. Olrik, l. l. p. 3, qui hanc legem nominavit „Gesetz der Wiederholung".

cognovit. simile aliquid narratur in oratione, quam habet pastoris uxor (I, 112) et in Croesi atque Adrasti orationibus (I, 41, 42). orationum ubertatem cognoscimus etiam ex aliis exemplis, quorum nonnulla afferam. saepissime enim ipsa orationis summa in fine posita est, priusquam haec commemoretur, causae narrantur. Mysi narratis rebus, quae factae sunt, auxilium petunt (I, 36): Atys Croesi sententia refutata somnium sua interpretatus ratione patrem rogat: μέθες με (I, 39) et Croesus, postquam probavit filii interpretationem, dicit: μετίημί σε (I, 40). Adrastus non solum se paratum esse dicit, sed causarum alias afferens alias refutans paucis verbis in fine positis ipsam rem nominat (I, 42). item Atys non statim interrogat de causa neque patrem rogat, sed postquam, quantopere patris cautelis afflictus esset, exposuit (I, 37). saepe non satis est causas afferre, sed orationis prooemio alterius colloquentis oratio breviter repetitur vel saepe particula γάρ is, qui loquitur, sermonem excusat (cf. Stein in adnot. ad I, 8, 10). ex omnibus exemplis a me allatis orationes consuetum atque cotidianum sermonem minime redolere cognoscimus. affectus his orationibus non describi ex iis consentaneum est, quae supra de hominum affectibus diximus, quippe qui ex rebus gestis satis percipiantur. personae, quamquam orationes habent bene exstructas, tamen simplici ratione atque arte loquuntur. rex atque pastor, adulescens atque senex, femina atque vir eodem modo, iisdem orationibus bene compositis loquuntur. singulorum hominum orationes, quae dicendi arte inter se non discernuntur — nisi sententiis allatis suadentes homines significatos esse dicere velis —, similes sunt. quae parsimonia non tam virtus est quam narrandi artis haud satis excultae documentum. Herodotus enim atque fabulatores, a quibus fabellas accepit, rudes erant distinguendi colores atque explicandi affectus, sed peritissimi erant artis narrandi. quia fabellae illae non legebantur, sed recitabantur, hominum affectus orationibus

explicare minus opus erat narrantibus, qui gestibus, vocis sonu, vultu aliquatenus affectus exprimebant [1]).

Cum orationibus res solae contineantur, magis ad fabulam ipsam continuandam quam ad hominum affectus vel mores describendos necessariae videntur esse. certe orationes componuntur, ut cognoscamus quid homines facturi sint. investigemus igitur, quid orationes in fabula valeant, quomodo cohaereant cum rebus futuris. exempla affero. postquam Bias cum Croeso colloquens, ut naves struere desisteret, effecit, ipsa res brevissime narratur: placuit Croeso, desisti iussit (I, 27). Atys longa oratione, ut liceat sibi venatum ire, patri persuadere conatur (I, 37), et Adrastus omnibus causis allatis custodem se futurum esse pollicetur; iam res multis verbis praeparata brevissime narratur: profecti bestiam aggressi sunt, Adrastus interfecit Atym, gravissima sola brevissime significantur (I, 42, 43). Croesus Cyrum, quomodo Persis diripientibus demat praedam, accurate docet; ilico Cyrus fieri iussit, quod Croesus suaserat (I, 89, 90). hominum igitur orationes non in culmine fabulae habentur, sed brevi antequam res in summo discrimine sunt, facta ipsa brevissime narrantur. orationibus res ex omnibus partibus considerantur, fabula ipsa ita praeparatur atque usque ad culmen ducitur, ut de facto ipso brevissime narrare satis sit. fabula orationibus adeo promovetur, ut sola quasi currere non modo possit, sed etiam, quin currat, fieri non possit.

1) cf. Gunkel, p. 43: „Die Erzähler haben alles der Handlung untergeordnet. Sie haben solche Reden nicht aufgenommen, welche die Handlung selbst nicht weiter fördern. Besonders haben sie es in diesem Interesse vermieden, die Stimmungen der nur leidenden Personen in Reden zu schildern . . .“ et p. 42: „Zwischen Erzähler und Hörer gibt es noch ein anderes Band als das der Worte; da spricht der Ton der Stimme, das Mienenspiel oder etwa eine Handbewegung mit; Freude und Schmerz, Liebe, Zorn, Eifersucht, Haß, Rührung und alle die anderen Stimmungen seiner Helden, die der Erzähler mitempfand, teilte er so, ohne ein Wort darüber zu sagen, seinen Hörern mit“.

Orationes maximam fabellarum partem videmus esse. etiam in Homeri carminibus orationes maximi momenti sunt (cf. Finsler, p. 494); quaeritur, num Herodotus Homerum imitatus personas magis colloquentes quam agentes induxerit. quamquam eum imitatum Homeri orationes bene compositas metrum compensasse singulari structura, membris inter se respondentibus, orationum ubertate verisimile videri potest, tamen Homerum solum tanti momenti esse non putem. nam non modo in Homeri carminibus, sed in omnibus fere fabulis atque carminibus popularibus orationes multum valent. quod videmus in antiquissimis fabellis Aegyptiis[1]) et in carminibus popularibus[2]) et in fabellis Germanicis[3]).

Volgus iuvat homines inducere colloquentes, eorum orationibus interesse, rerum participes esse. quam ob rem atque quia indirecta oratione uti difficultatem praebebat antiquissimis hominibus, orationem indirectam in fabellis rarissime adhibitam esse cognoscimus. quod cum ex aliis rebus intellegimus, tum ex iis, quas nuntiant nuntii. nuntii semper fere iisdem verbis, quae mandata sunt, repetunt[4]).

Sed apud Herodotum hanc simplicem nuntiorum narrandi rationem minime adhibitam esse intellegimus. verba, quae nuntiantur, semel ab Herodoto afferuntur (III, 14, 122; V, 24) atque Herodotus addit „haec rex nuntios

---

1) cf. Papyr. Westcar: Erman u. Krebs, Aus den Papyrus der Königl. Museen, Berl. 1899, p. 30 sq.

2) affero celeberrima carmina, quae nos vocamus Balladen „Donna Lombardia“ et „Edward“, quae tota fere ex orationibus constant.

3) cf. Grimm, 32 „Der gescheite Hans“.

4) cf. Finsler, p. 488; Miklosich, Die Darstellung im sloven. Volksepos, Denkschr. d. Wien. Ak. Phil. hist. Kl. 38. Heft 3, p. 18 sq.: „Der dem Boten erteilte Auftrag wird meist zweimal und zwar mit denselben Worten angeführt: zuerst wo er erteilt, dann wo er ausgeführt wird.“ Conferenda est narrandi ratio, quam in antiquissimis fabellis usitatam videmus: Papyr. Westcar, p. 35 sq.

dicere iussit" (I, 69) vel indirecta oratione breviter mandata significantur (I, 53). Paulo excultiorem igitur artem apud Herodotum in nuntiorum verbis adhibitam intellegimus. quam indirectam orationem ortam esse ex directa etiam ex eo videmus, quod et Homerus et Herodotus saepe ex indirecta transeunt in directam orationem usitatam scilicet atque simpliciorem[1]).

---

b. De dialogo.

Nunc oritur quaestio, num hae orationes ita conectantur, ut verus dialogus possit exsistere. sed ipsa illa ubertas atque diligentia structurae, quae singulas orationes spectanti virtus est, impedimento videtur esse, quominus ex coniunctis orationibus oriatur verus dialogus. exempla affero. pastor uxore gravida relicta ab Harpago vocatus Cyrum accepit exponendum (I, 111). postquam revertit, ab uxore interrogatus accuratissime eo ordine, quo res factae sunt, narrat: quomodo in urbem et Harpagi domum venerit, puerum acceperit, quis esset puer cognoverit. deinde uxor, postquam vidit pulchrum puerulum, ne exponatur, rogat, pastor obsequi non vult. sed haec ab Herodoto referuntur, non a personis ipsis proferuntur. tum uxor consilium explicans se peperisse dicit mortuum puerulum, quem pastorem pro Cyro exponere iubet, ut Cyrus servetur, ipsius infans regii funeris particeps fiat. pastor nil respondet, placet ei consilium, quod exsequitur. num hic verus dialogus est? fingamus, qualem dialogum fuisse exspectemus. postquam revertit pastor, quo modo Cyrum acceperit, narrat. quod, cum eius animus nova re maxime commoveatur, consentaneum est. at maritum, quem de uxoris partu sollicitum abisse audimus, ne uno quidem verbo de hac re cogitare mirum nobis videtur. sed maxime miramur, quod mater ipsa de suo puerulo

---

1) cf. IV, 118; cf. Cauer, Eine Schwache der homer. Denkart, Rh. M. 47, p. 78.

mortuo non prius narrat, quam tempus sit consilii dandi! Matrem filii mortui dolore commotam tam diu tacuisse omnino cogitare non possumus. nam matrem puerulum suum non amasse fingere non licet, quippe quae materno amore impulsa id agat, ut ipsius filius summis honoribus afficiatur atque quae Cyrum, alienum puerulum, tanto amore complectatur. alia igitur causa statuenda est, quam maximi momenti ad dialogum Herodoteum intellegendum esse putamus. puerulus mortuus, ubi necessarius est atque ad consilium aptus, commemoratur. ne perspicua atque dilucida rerum series perturbetur, non prius commemoratur. nam si mater statim locuta esset de mortuo puerulo (id quod consentaneum erat), de hoc primum sermo esset habitus, sed Cyro nondum commemorato hoc sermone nil esset effectum; deinde pastor de Cyro narraret, tum uxor daret consilium atque iterum puerulum mortuum commemoraret. priorem igitur sermonem a nobis fictum supervacaneum esse intellegimus ex Herodoti narrandi arte, qua id solum narratur, quod aliquid valet ad fabulam explicandam. ex vero dialogo facta est continua pastoris atque continua uxoris oratio. impedimenta cognoscimus veri dialogi, continuas illas orationes non interruptas interrogante vel probante altera persona. omnia, quae altera persona de se atque ex suo loco dicere potest, non compluribus brevibus sermonibus narrantur, sed differuntur, quoad continua oratione personae animus ostendatur. orationes, quibus nil efficitur (pastoris recusantis, uxoris frustra precantis, pastoris consilium probantis) aut omnino omittuntur aut ab Herodoto, non a personis ipsis brevissime referuntur. nonnulla exempla addam: Harpagus domum reversus ab uxore quid facturus sit interrogatus, respondens omnibus causis allatis consilium explicat, uxor nil respondet (I, 109). etiam hoc loco agnoscimus illam plenam et continuam orationem afferentis sua sponte causas etiam eas, de quibus alter interrogare poterat. tota res oratione exhauritur, alteri nihil restat dicendum, sed tacet, tacendo probat. Uxoris

autem interrogatio (I, 109) nil nisi ansam dat Harpago ad orationem ampliorem habendam: saepius eo spectant tales interrogationes Herodoteae. veluti Croesus audiendi cupidus, cur Tellum putet beatissimum interrogans Solonem, ut narret de Tello, deinde de Cleobi Bitoneque commovet (I, 30). Croesus servatus Cyrum quid faciant Persae urbem diripientes interrogat, ut illa antithesis eliciatur dicentis: non mea sunt, sed tua (I, 88). Astyages ita interrogat, ut Harpagus continua oratione quae facta sint narrare cogatur (I, 117).

Notandum igitur est, quantopere dialogus Herodoteus differat a vero dialogo. dialogum ex duabus vel quattuor vel sex orationibus compositum esse et hanc fere formam praebere exspectamus: a b a b a b. sed quid videmus? exempla affero. I, 8: Candaules, Gyges, Candaules: a b a; regina, Gyges, regina: c d c; I, 27: Bias, Croesus, Bias: a b a; I, 35: Croesus, Adrastus, Croesus: a b a. sed etiam alias formas cognoscimus. I, 37: Atys, Croesus, Atys, Croesus: a b a b; I, 120: Astyages, magi, Astyages, magi: a b a b; et I, 36: Mysi, Croesus: a b; I, 41: Croesus, Adrastus: a b; I, 108: Astyages, Harpagus: a b; I, 109: Harpagus, uxor: a b; I, 111, 112: pastor, uxor: a b; et I, 45: Croesus: a; I, 68: faber: a; I, 71: Sandanis: a. exemplis, quae collegi, haec cognovi: dialogus Herodoteus numquam ex pluribus quam quattuor orationibus (a b a b) compositus est. omnes orationes et interrogationes, quas exspectes, praeter has quattuor habitas aut negleguntur aut ab Herodoto ipso referuntur. sed hic dialogus ex quattuor compositus membris rarissime invenitur, sollemnis dialogus ex tribus membris constat (a b a). quae tria membra ita exstructa sint oportet, ut omnia iis contineantur, quae ad rem sunt necessaria. quae membra saepe in duas (a b) vel unam orationem (a) contrahuntur, quae tam plenae sunt, ut continuae fere orationes potius quam dialogi partes esse videantur[1]).

---

1) Simillimam narrandi rationem in dialogo fabularum Germani-

Paucis ostendam, quomodo Herodotus plures duabus personas fingat colloquentes. Herodotum, quem rudimentis dialogi imbutum vidimus, plures personas vivido sermone coniunctas inducere non potuisse satis demonstratum est supra in tractandis personis. complurium personarum semper duae solae inter se colloquuntur. dialogus sequitur dialogum; numquam eodem tempore omnes personae inter se colloquuntur.

---

3. DE FABELLARUM ARGUMENTIS ATQUE STRUCTURA.

a) De argumentis.

Utrum factae an fictae sint res in fabellis Herodoteis traditae, non nostra, sed historicorum interest; nostrum est quaerere, qua ratione narratae sint res, quae ab Herodoto traduntur. perlustrantibus fabellarum argumenta unum nobis occurrit, quod maximi momenti esse puto ad intellegendam fabellam Herodoteam. multas res, quas Herodotus narrat, in fabellis atque fabulis nostrorum atque priorum temporum narratis, quae non cohaerent cum Herodoteis, easdem vel simillimas narrari intellegimus. ex quibus exemplis non modo Herodotum fabellas populares tradere, sed etiam populum iisdem rebus, simillimis Herodoteis fabellarum argumentis delectari atque delectatum esse cognoscimus. cum fieri non posset, ut omnia exempla, quae collegi, afferrem, pauca elegi.

α) Nonnulla afferam de personis.

---

carum usitatam esse cognoscimus: cf. Heusler, Der Dialog in der altgerm. erzähl. Dicht., Zeitschr. f. d. Alt. 46, qui haec exponit p. 232: forma a b a b raro invenitur, saepius a b a. in carmine, quod vocatur Béowulfepos sola haec forma exstat a b a, in carmine Byrhtnoth sola forma a b. de plenis orationibus cf. p. 235.

1) Croesi filius mutus est per multos annos usque ad id tempus, quo subito timore percussus loquitur (I, 85). hoc argumentum in fabellis usitatum (cf. Grimm 3) ex somnio ortum esse Thimme putat (Das Märchen, p. 50 sq., cf. Laistner, Rätsel der Sphinx, Berl. 1889).

2) Falsus Smerdis similitudine non modo Persarum principes, sed etiam uxorem fallit (III, 68 sq.). multa huius rei exempla attulit Zarncke (Rh. M. 39, 1—26) cf. Die Reise der Söhne Giaffers (Fischer et Bolte, Bibl. d. Litt. Vereins in Stuttg. Tüb. 1896) p. 219. iam in antiquissima fabella Aegyptia de duobus fratribus narrata hoc argumentum agnoscimus cf. Maspéro, Les contes populaires de l'Égypte ancienne, Paris 1882: „Les deux frères": mulier alium virum falso maritum esse putat.

3) Duo fratres saepissime ab Herodoto inducuntur aut (plerumque) inimici (II, 107; III, 30, 145; IV, 160; VI, 52; V, 104; IX, 108) aut amici (II, 121; III, 61). quod quamquam ex rebus ipsis ortum esse videri potest, tamen vetus est atque in fabellis usitatissimum argumentum. in antiquissima fabella Aegyptia duos habemus fratres inimicos (Anepu, Bitiu). Hahn (Griech. u. alban. Märchen, Lpz. 1864) hoc argumentum nominat „Dioskurenformel" atque inimicorum fratrum exempla ex fabellis Graecis affert (No. 3; 30; 16). Axel Olrik ex plurimis exemplis legem formavit, quam nominat „Gesetz der Zwillinge" (l. l. p. 6). fratrum alterum nullius vel minimi momenti esse ad fabulam Olrik affert. idem in fabellis Herodoteis cognoscimus: filiorum Croesi (I, 34) et Periandri (III, 53) et Rhampsiniti architecti (II, 121) alter minimi momenti est, aut aegrotus est aut mox moritur. ex fabulis Graecis multa exempla fratrum inimicorum Usener affert (Dreiheit, Rh. M. 58 p. 329). ex quibus duobus fratribus coniunctis aliud argumentum ortum esse Usener demonstrat, quod maxime pervolgatum in omnibus fabulis atque fabellis omnium fere populorum etiam apud Herodotum traditum videmus:

Tres fratres coniuncti sunt.

In illa fabella, qua, quomodo Scytharum gens orta sit, narratur, trium fratrum natu minimus domum auferens aurum, quod ardet, rex fit Scytharum (IV, 5). atque in illa fabella, quam Graecam Herodotus tradit, Herculis trium filiorum natu minimus, qui patris arcum intendit, regnum accipit (IV, 10). tertium exemplum illa fabella est de Perdicca, Macedonum rege, narrata (VIII, 137). fratrum minimus natu, qui inferior habebatur, miraculo notatus prudentissime arripit occasionem, Macedonum fit rex. Usener numerum binarium originalem esse demonstrare conatur ex anni temporibus, quae aestatem atque hiemem fuisse ex fabulis intellegatur (p. 337, adn. 1). numerum ternarium in Aegypto antiqua usitatum mature ortum esse exponit.

Pro exemplis, quae ex fabellis variorum populorum de hoc argumento narrata collegi, afferre iuvat Useneri verba, qui plurima exempla affert (p. 8, adn. 2)[1].

4) Amor mariti atque uxoris rarissime fabellae Herodoteae argumentum est. novum scilicet debet esse atque inauditum („storia novella“!), quo ii, qui audiunt, delectentur. pro amore habemus fabulas de miro modo quo tyranni uxores tractant. Candaules pulchritudine uxoris solus frui non vult (I, 8): Periander Melissam necavit atque cum mortua concumbit (V, 92); Pisistratus contra quam fas est uxoris amore fruitur (I, 61); Cambyses sororem atque uxorem gravidam pedibus ictam interficit (III, 32).

Aliis fabellis narratur de marito, qui de mulierum atque uxoris adulterio certior fit (II, 111)[2]. aliis de

---

1) „Die 2 älteren Brüder pflegen hier als gewöhnliche Menschen, als selbstsüchtig, auch wohl voll Selbstüberhebung dargestellt zu werden, der dritte gern als Dümmling, ungewandt und weltunerfahren, aber rechtschaffen und treuherzig, voll Erbarmens und menschlichen Rührens, daher vom Glück begünstigt oder unter göttliche Führung genommen. In das Weibliche ist die Sage umgebildet in dem weit verbreiteten und viel variierten Märchen von Aschenbrödel“.

2) cf. Huth, Zeitschr. f. vergl. Litt.-Gesch. p. 179: „Der Orient

patre narratur, qui filiae suae stuprum affert (II, 130 sq.). quod argumentum de patre, qui filiam stupraturus persequitur, multis fabellis traditum videmus esse. in fabellis Graecis conferenda est fabula, quam Hahn affert (No. 109 cf. 27), de Germanicis cf. Grimm 65, Rittershaus 31 (cf. Straparola 1. nox 4. fab.). vel pater filiam offert stuprandam (II, 121, 126; IV, 154).

Saepe patris amor filio necato a tyranno tentatur (I, 119, 73; III, 11, 34; IV, 84; VII, 38; VIII, 105). homines cocti aut assi etiam in fabellis Germanicis atque Graecis comeduntur (cf. Grimm 15 et 47; Hahn No. 1 et 2). ossa collecta sepeliuntur (Hahn 1 cf. Harpagus I, 119); ex sepulcro saepe arbores crescunt.

5) De personarum moribus haec addam afferens furis calliditatem, quam cognoscimus in illa fabella de Rhampsiniti thesauro narrata (II, 121). quid est, quo homines tantopere delectabantur, ut apud omnes fere nationes usque ad nostra tempora hoc argumentum vulgaretur? audientes non indignantur, quod regi aurum auferatur, frater abscidat fratri caput, sed delectantur, quod fur tam callide omnia superat impedimenta, quibus superatis artis suae magister probatus regis filiam ducit uxorem [1]). Benfey in prooemio libri, qui inscribitur Pantschatantra (I. p. 295) hoc argumentum vulgatissimum fere nominat. non opus est singula afferre testimonia. liceat mihi nonnullos libros commemorare, in quibus quisquis volet inveniet exempla. A. Rittershaus, Neuisländische Märchen, ad CV (Der Meisterdieb) multa exempla ex fabellis multarum nationum collegit; cf. Köhler, Kleine Schriften I p. 256, 307, 415 et Grimm 192; hoc argumentum etiam nunc a volgo narratur atque variatur cf. Wisser, Das Märchen vom Meisterdieb in Ostholstein in

rückt immer das Leben der Frauen und ihr Verhalten zu den Männern in den Vordergrund speziell die Untreue des Weibes (cf. die sieben weisen Meister)."

1) cf. Hymn. Homer. in Mercur. v. 389 sq.: Iuppiter ridet Mercurii furtum.

15 Fassungen, Zts. d. Ver. f. Volksk. 13 (1903) p. 301 sq. tria plerumque furto sunt abigenda, quorum in numero sunt: lectus, equi, boves, sacerdos atque eius famulus, assum, stragulum, anulus.

Sed etiam alii homines peritissimi alicuius artis in fabellis inveniuntur. affero Cambysis artem, qui sagitta Prexaspis filium corde transfixo interficit et ex patre quaerit: νῦν δέ μοι εἰπέ, τίνα εἶδες ἤδη πάντων ἀνθρώπων οὕτω ἐπίσκοπα τοξεύοντα; quibus Prexaspes respondet: δέσποτα, οὐδ' ἂν αὐτὸν ἔγωγε δοκέω τὸν θεὸν οὕτω ἂν καλῶς βαλεῖν (III, 35). simillimum argumentum in Persarum fabulis usitatum videmus esse: princeps quidam, postquam cervum insigni arte interfecit sagitta, servam non admiratam eum violat prostratam (cf. Die Reise der Söhne Giaffers p. 203, 2 b „Der Meisterschuß", quo loco alia exempla ex Firdusi libro aliisque afferuntur).

Quocum argumento saepe aliud coniungitur: in fabella illa Herodotea (II, 121) fur servis fratris corpus custodientibus sopitis barbae dextram partem tondet, id, quod apud orientales dedecus putabatur gravissimum (Stein in adnot. ad II, 121, 29 affert II. Sam. 10, 4). idem argumentum in Persarum fabulis agnoscimus (Die Reise d. S. G. p. 215).

Volgus iuvat audire fabulas, quibus homines prudentia, calliditate, sagacitate, aliquid assecutos esse narratur. huc pertinent multa exempla, quibus dolis adhibitis prudentes se praestant homines. plurimis dolis in bello usi homines superant hostes (I, 59 sq.: Pisistratus; I, 80: Harpagus; III, 155: Zopyrus; IV, 135: Gobryas; IV, 200: aerarius; 201: Amasis). saepissime etiam hostes in epulando superantur dolo (I, 63, 106, 150, 191, 211; II, 100; IV, 128; V, 18; VI, 78). quibus exemplis aut ex antiqua bellandi arte haec intellegenda esse aut Herodotum typico more narrasse demonstrari mihi videtur.

Etiam magis audientes delectabantur dolis, quibus non tam bellandi peritos quam callidissimos se praestant homines. comparare possumus hoc argumentum cum

usitato illo, quo calliditatis testimonia afferuntur (cf. Die Reise der Söhne G. p. 198—200 „Scharfsinnsproben"; cf. Thimme, Das Märchen p. 75 sq.). velut Pisistratus cum falsa Minerva in Atheniensium urbem profectus Athenienses fallit (I, 60). falsus Smerdis auribus abscisis agnoscitur (III, 69). Dareus equae hinnitu dolo regnum sibi parat (III, 85). Polycrates cista lapidibus atque auro completa ab Oroete decipitur (III, 122 sq.). Minyarum mulieres virorum vestimentis indutae maritos liberant (IV, 146). iuvat etiam populum audire, quomodo epistulae per dolum iis mittantur, qui certiores fiant de aliqua re. Harpagus (I, 123) in leporis ventre epistulam mittit Cyro [1]).

Histiaeus quoque nuntium in servi cuiusdam capite tonso inscribit, quem, ubi crines creverunt, ad Aristagoram mittit (V, 35). Demaratus Persarum regem contra Graecos profecturum esse nuntians cera rasa in ligno tabulae incidit nuntium, quibus factis cera insuper illita tabulam quasi integram Lacedaemoniorum mittit regi (VII, 239). Epistula sagittae affixa ad hostem mittitur (VIII, 128).

Ex iisdem radicibus eae fabellae ortae sunt, quibus aliquis iudicem se praestat prudentissimum. velut geminorum alter, natu maior, qui fiat rex Lacedaemoniorum, eligendus est (VI, 52), sed simillima sunt forma. quid fit? Vir quidam suadet, ut intendant animum, uter prior a matre cibum accipiat atque lavetur. simile argumentum in fabellis Germanicis habemus. ex tribus sororibus pastor uxorem ducturus quandam suadente matre omnibus ca-

1) Hoc argumentum in fabulis usitatum est. cf. Uhland, Schriften zur Gesch. d. Dicht. u. Sage III p. 223, qui haec exempla affert: „Diese hab' er in das Fell gebunden und sofort beim Zerlegen des Hasen im äußersten Schwanzende einen königlichen Brief versteckt gefunden. Der Botenlauf des schnellfußigen Hasen ist sagenhaft cf. Laßberg, Liedersaal II, 404: der hase gên walde kêrte, ... du solltest eins fürsten brieve tragen". cf. etiam Woycickis, Poln. Volkss. 132 (is, qui epistulam portat, in leporem mutatur).

seum dat secandum et ex eo modo, quo secant caseum, eligit uxorem (Grimm 155. Die Brautschau). aliud exemplum est hoc: ex tribus mulieribus in flores mutatis una domi noctu poterat esse. quomodo maritus ex simillimis suam eligit uxorem? uxor, quae noctu domi fuerat, non erat irrorata (Grimm 160, Rätselmärchen).

β) Nonnulla afferam exempla, quibus miracula referuntur.

1) Pheroni, caeco regi, fidae mulieris urina oculi restituuntur (II, 111). Medicamenta, quibus oculi sanantur in fabellis saepius commemorantur: cervae lacte oculi sanantur (Hahn No. 6 var. 2) vel equi urina non sanantur, sed adimuntur: saepius aqua sanantur (Hahn 5. var. 6, 30, 68), etiam remedio ex simiae cerebro facto (Hahn, 53). etiam ex aliis rebus simili modo mores (mulierum!) agnoscuntur. exempla afferuntur in illo libro, quem saepius commemoravimus: Die Reise der Söhne Giaffers p. 32. veritas cognoscitur ex adamante, uxoris animus ex smaragdineo vase, ex necato pisce ridente uxoris corrupti mores intelleguntur.

2) Impedimentum, quo equites persecuti fugientes fratres flumine augescente retardantur (VIII, 137), frequens in fabellis est. iam in illa antiquissima fabella Aegyptia de duobus fratribus narrata Anepu fratrem persecutus magna aqua impediri traditur. diversae res impedimento esse possunt. flumen (Haltrich, Siebenbürg. Märchen p. 160 sq.), mons subito ortus (Pröhle, Märchen f. d. Jugend p. 120 cf. Mannhardt, Zeitschr. f. dts. Myth. IV, Gött. 1859 p. 250, adn. 2, 3). plerumque tres res a fugientibus abiectae et mutatae impedimento sunt. in fabella Germanica (Grimm 79) peniculus, pecten, speculum in montes mutantur. ex fabellis Graecis Hahn affert: No. 1: cultellus, pecten, sal in planitiem, silvam, mare mutantur; No. 6. var.: sapo, pecten, speculum; No. 45: sal, speculum, pecten in planitiem, glaciem, mare mutantur; No. 68; sal, sapo, pecten in ignem fumumque, flumen, paludem mutantur. simile argumentum est hoc: fugientes ipsi

mutantur: Grimm 51: in rosae fruticem atque rosam, templum atque coronam, lacum atque anatem: Grimm 56: in lacum, anatem, florem pulchrum.

3) Affero etiam illud argumentum, quo Polycratem anulum abiectum recepisse a piscatore inventum in piscis cuiusdam capti ventre narratur (III, 42). hoc argumentum plurimis exemplis omnium nationum imprimis orientalium allatis optime tractavit A. Wünsch, die Sage vom Ringe des Polycrates in der Weltlitteratur, Beil. z. Allgem. Zeitung 1893). etiam aliae res pro anulo commemorantur: margarita, clavis. hoc argumentum saepissime invenitur in historiis illis de gratis animalibus (cf. A. Marx, Griech. Märchen von dankbaren Tieren, Stuttg. 1889).

---

b) De fabellarum structura.

Similem symmetriam, qualem in orationibus personarum cognovimus, in fabellarum seriebus, quae unius personae nomine coniunguntur, adhibitam videmus esse. exemplum affero fabellas de Croeso narratas eas, quibus agitur de Croeso, Atye, Adrasto. Ia: Croesus somnio perterritus Atym a bellando atque venando arcere studet. Ib: Adrastus advenit, recipitur, piatur. hoc prooemio omnes curae sublatae esse videntur. IIa: Mysi advenientes, ut Atys secum proficiscatur, a Croeso petunt. Atys se retineri non vult, suo modo interpretatus somnium dimittitur. IIb: Adrastus profectum Atym se defensurum esse pollicetur. iam imminet periculum. IIIa: evaserunt, quae Croesus somniavit: Atys interfectus est. IIIb: Adrastus, qui interfecit Atym, regi se dedit, sed a Croeso iterum absolvitur. IVa: Atys a patre sepelitur. IVb: Adrastus mortem sibi consciscit. nonne artificiosa ratione Atyos atque Croesi (a) et Adrasti (b) partes distributae sunt? atque singularum partium partiunculae adeo inter se respondent, ut symmetria oriatur maxime perspicua.

Idem videmus spectantes Croesi vitam his omnibus fabellis (I, 27—91) enarratam. Croesus ex barbaro rege sapiens fit atque suasor: hoc fabellarum serie efficitur. primum Bias, sapientissimus vir, etiam Croesi regnum superari atque deleri posse dicit (I, 27). deinde Solo gravissimis verbis, ne se beatissimum esse ante mortem putet, eum monet (I, 30 sq.). sed ad haec duo sapientissimorum virorum consilia accedunt duo vaticinia, quibus a deis Croesus, ut caveat, monetur. somnio Atym moriturum esse deus monet (I, 34), sed Croesus dimittit filium venaturum; oraculis fore, ut Croesi regnum deleatur, deus pronuntiat (I, 47 sq.), sed Croesus oraculum non intellegit. somnio atque oraculis completis efficitur, quod effici Herodotus volebat: Croesus filio necato atque clade accepta non iam est rex potentissimus atque barbarorum ditissimus.

Pauca alia exempla talis symmetriae breviter tangam. in fabellis de Cyro narratis Astyages Harpago, ut interficiat puerulum mandat (I, 108), deinde Harpagus uxori consilium suum explicat (I, 109). quibus factis Harpagus iisdem fere verbis idem mandat pastori (I, 110), qui domum reversus cum uxore collocutus, quid faciendum sit, explicat (I, 111, 112). habemus igitur formam $aa^1 bb^1$. Astyages primum cum pastore (I, 116) (b), deinde cum Harpago (I, 117) (a) collocutus verum accipit. habemus nunc inversum ordinem, quo Harpagus (a) et pastor (b) afferuntur atque hanc formam: a (I, 108) b (I, 110 sq.) b (I, 116) a (I, 117).

In fabellis de Periandro et Lycophrone traditis haec narrantur: Periander primum domo expellit filium, deinde filium tecto recipi vetat, tum fore, ut is, qui filium receperit vel cum eo collucutus sit, sacra afficiatur poena, minatur (III, 50—52). postea Periander, cum senex filium revocare studet, primum nuntium mittit, qui eum arcessat, deinde filiam, quae patris verbis usa ei persuadeat, denique praeconem mittit (III, 52, 53): nonne Periander his tribus nuntiis respondentibus tribus iniuriis expiat

iniurias antea filio allatas? saepissime haec symmetria ita formatur, ut duo vel tria fabellarum membra non simplici modo inter se respondeant, sed varientur, progrediantur, gradatim crescant. primum affero prooemium libri primi magna arte exstructum, quo tribus fabulis, quomodo discordiae inter barbaros atque Graecos ortae sint, narratur. tres fabellas esse dico, ex quibus hoc prooemium constat, de Ione, Medea, Helena raptis narratas. nam tres iniuriae sunt, quae afferuntur: 1) Io rapta, quae compensatur rapta Europa: 2) Medea rapta: haec est secunda iniuria (I. 2): 3) Helena rapta. quem numerum ternarium in progredientibus fabellis videmus saepe adhibitum. aliud exemplum affero illam fabellam de fure peritissimo artis suae narratam (II, 121). etiam hic tres partes sunt, quae gradatim progrediuntur: 1) cum fratres pecuniam ex thesauro furantur, fratrum alteri caput absciditur ab altero: 2) corpus mortui suspensum atque custoditum surripitur: 3) fur ipse regis filiae, quae fecerit, narrat, effugit. exemplum sit etiam hoc (III, 128). Dareus, ut Oroetem perdat, Bagaeum quendam mittit, qui eum necet. Bagaeus dolo usus tribus epistulis hastatos, ut interficiant Oroetem, commovet. primae epistulae, qua quo animo essent hastati, cognoscere volebat, magnam reverentiam hastati habent: secunda, qua Dareus hastatos Oroetis esse milites vetuit, recitata milites hastas summittunt: tertia, qua Oroetes interfici iussus erat, audita hastati gladiis destrictis Oroetem interficiunt. nonne optime res progreditur? quam structuram si respicimus, illam fabellam intellegimus (III, 14), qua narratur Psammenitum regem praetereuntes videre filiam servam, filium moriturum, sodalem mendicantem: singulae partes progrediuntur, sed tertia a recta via quasi deflectit, novum atque inauditum hoc modo augetur. similiter res se habet in illa fabella de Intaphernis uxore narrata (III, 118): frater, qui carior nominatur quam maritus atque liberi, plurimum valet, ceteris duabus partibus haec tertia crescit, eo magis fit mira. talis symmetria atque crescens vel

decrescens structura Herodoto in deliciis est. nam dilucida sit atque facillime ab audientibus intellegatur atque animis percipiatur oportet fabulae structura.

Maximi momenti in fabulis a volgo narratis talem esse structuram, quae facile ab audientibus intellegi possit, etiam ex fabulis Hebraeis Veteris Testamenti videmus (cf. Gunkel, p. 34). satis constat in fabellis saepissime inveniri tria membra repetita[1]). dilucida fit fabulae structura, si simplex est, si audientium animi non avertuntur intermissis aliis rebus. simplex fabula, cuius partes inter se respondentes vel progredientes facillime percipiuntur, facile intellegitur. simplicissimum est unum argumentum nullis interruptum aliis. difficilius fit, cum duo atque plura inter se pugnantia structuram reddant artificiorem. quae cum ita sint, quomodo narrat Herodotus? exemplum affero. Atyos mors tribus rebus efficitur: 1) Croesi timor tollendus est, 2) Adrastus iniuriam expiaturus est, 3) Mysi, ut Atys secum venaturus proficiscatur, petunt. Herodotus eodem modo, quo supra eum plures duabus personas colloquentes inducentem vidimus, usus alteram rem narrat post primam, tertiam post alteram eodem, quo factae sunt ordine. alia non narratur iuxta aliam, non omnes mixtae sunt, sed alia sequitur aliam. ubi Periandri duo filii domum reverterunt, minor natu, ab avo incitatus, ob matris necem iratus a patre domo expellitur (III, 50). iam hoc pulso Periander ex fratrum natu maiore, quae avus cum filiis collocutus sit, quaerit. nonne mirum est patrem primum expellere filium, deinde quae sit causa irae alterum interrogare? etiam hic duorum argumentorum, quae mixta esse exspectamus,

---

1) In plurimis fabellis ter eandem rem ab aliquo suscipi notum est, qui ter vel bis frustra conatur, quartum vel tertium exsequitur rem. Olrik hanc legem nominat Gesetz der Wiederholung (p. 3, 4). sed notandum est hoc: in fabellis semper fere ter plane eaedem res repetuntur, non variantur; hoc Herodoto satis non est: semper res non modo repetuntur, sed etiam variantur, gradatim progrediuntur (cf. Olrik p. 4).

alterum post alterum narratur. eadem ratio narrandi adhibetur Atye ab Adrasto necato (I, 43): Adrasti dolor, quo eum affectum fuisse, ubi Atys necatus est, consentaneum est, non prius narratur, quam fabula dolore narrato non modo non interrumpatur, sed etiam propellatur: cum Croesus Adrastum absoluturus est. tota huc pertinet narrandi consuetudo saepius commemorata, qua ea, quibus nil efficitur, quibus narratis simplex fabulae structura impediretur, non prius afferuntur, quam ad fabulam ipsam apta atque necessaria sunt. quibuscum etiam cohaeret, quod fabulae partes quaedam, ubi non iam iis opus est, non iam commemorantur. veluti quid factum sit Mysis suem interfecturis, ubi Atys necatus est, non accipimus: pastor eiusque uxor, ubi Croesus ab Astyage in Persarum regnum dimittitur, non iam commemorantur. omittuntur hae partes, ne fabulae summa retardetur. unde hoc sequitur: quia omnia, quae non necessaria sunt, negleguntur, continuus oritur fabulae progressus, qui non interrumpitur. dum nuptiae celebrantur (ἔχοντος δέ οἱ ἐν χερσὶ τοῦ παιδὸς τὸν γάμον I, 35), Adrastus advenit; eodem tempore (ἐν δὲ τῷ αὐτῷ χρόνῳ τούτῳ I, 36) Mysi auxilium petunt; quibus cum Croeso colloquentibus Atys intervenit (ἀποχρεωμένων δὲ τούτοισι τῶν Μυσῶν, ἐπεσέρχεται ὁ τοῦ Κροίσου παῖς ἀκηκοὼς τῶν ἐδέοντο οἱ Μυσοί I, 37). ubi Croesus Atym dimisit (εἴπας δὲ ταῦτα ὁ Κροῖσος I, 41), Adrastus arcessitur: postquam Adrastus Croeso respondit (τοιούτοισι ἔπειτε οὗτος ἀμείψατο Κροῖσον I, 43), omnes proficiscuntur. dum suem indagatum persequuntur, Adrastus Atym interficit. statim servus currit ad Croesum, quocum Sardes venimus. postquam Croesus cum deis conquestus est, Adrastus atque Lydi adsunt. Atys sepelitur, Adrastus, ubi homines a sepulcro discesserunt, ipse se interimit. plurimum igitur Herodoti interest, singulas fabulae partes ita conectere, ut oriatur continua fabula non interrupta. saepissime hoc effici non potest, nisi variae actiones in angustum temporis spatium contrahuntur. omissis intervallis, contractis compressisque rebus continuus oritur

ordo[1]). quod potest fieri, si altera fabulae pars sequitur alteram atque singulae partes tantopere comprimuntur, ut alterius finem alterius initium excipiat. sed quomodo narrat Herodotus duabus fabulae partibus congruentibus, quas eodem tempore factas esse fingimus? exemplis hoc monstrabo. Arion a nautis coactus desilit in mare. quo facto nostra interest audire primum quomodo fiat, ut Arion servetur, deinde quid facturi sint nautae. Herodotus nautas navi Corinthum profectos esse narrat. quid igitur nostra interest audire, quomodo Corinthum venerint? cum Arione igitur servato Corinthum pervenimus, audimus Arionem cum Periandro colloquentem, tum nautae perveniunt et cum Arione iterum coniungi possunt. duarum igitur rerum, quae eodem tempore factae sunt, ea narratur, quae maioris momenti est, alterius excogitandae ansae quaedam dantur audientibus. aliud exemplum affero hoc (I, 43): postquam Adrastus Atym interfecit, narrari possunt aut (a) Adrasti dolor et omnium reditus aut (b) nuntius a servo Croeso allatus. quod revera narratur, quia plus valet.

Sed quid fit, si utraque fabulae pars eiusdem est momenti? falso Smerde detecto septem Persarum principes interfecturi regem coniuraverunt (III, 70 sq.). quibus

1) Similem narrandi rationem etiam in aliis fabulis a volgo formatis usitatam videmus esse cf. Wellhausen, l. l. p. 39: „Das alles soll auf einen Tag fallen und noch dazu, wie es scheint, auf einen Sabbat (1, 21), an dem doch die Fischer ihr Gewerbe nicht ausüben dürften“ . . . „Es werden vielmehr gewisse stehende Hauptzüge seines (Jesu) Tuns und Treibens nicht statistisch, sondern historisch vorgeführt und in den Anfang zusammengedrängt: die Begleitung durch Jünger, ohne die er am Anfang nicht gedacht werden kann, die Vereinigung von Lehren und Heilen, der gewaltige Zulauf, den er findet, das Wanderpredigen, nachdem er kaum den Fuß nach Kapernaum gesetzt, die höchst bezeichnende Sitte, in der Nacht oder am frühen Morgen für sich allein an einem einsamen Orte zu beten“. — constat magnam pugnam ab Homero traditam ab undecimo usque ad duodevicesimum Iliadis librum uno die factam esse narrari (cf. Finsler, p. 483).

convocatis orationes gravissimae habentur, quas Herodotus sua narrandi ratione usus affert. consilio finito quid sit futurum exspectamus. sed Herodotus ad aliam rem, quae eodem tempore facta est, deflectit (ἐν ᾧ δὲ οὗτοι ταῦτα ἐβουλεύοντο, ἐγίνετο κατὰ συντυχίην τάδε III, 74); narrat quomodo Prexaspes Cyro maxime deditus de vero Smerde necato apud populum locutus se interfecerit. tum Herodotus redit, unde aberravit: consilio finito septem principes precati impugnatum magos profecti sunt, in via Prexaspem mortem sibi conscivisse compererunt, in regiam irruperunt. hoc loco duae res eodem tempore factae eiusdem momenti exstant narrandae. Herodotus primam narrans usque ad id temporis momentum ducit, quo pausa quaedam apta videtur, deinde altera res usque ad id ipsum temporis momentum ducitur, tum coniunctae tractantur. utraque igitur res, quia eiusdem momenti est, tota narratur, nihil omittitur. eadem ratione utitur in fabella illa de Masiste narrata (IX, 110 sq.). ubi regina cum Xerxe collocuta, ut Masistis uxor dono sibi daretur, impetravit. Xerxes cum Masiste ipso collocutus se eius uxorem rapturum esse minatur. eodem tempore, quo hi colloquuntur (ἐν δὲ τούτῳ τῷ διὰ μέσου χρόνῳ, ἐν τῷ Ξέρξης τῷ ἀδελφεῷ διελέγετο IX, 112). Amestris mulierem mutilari iussit. deinde Masistes, quem colloquio cum Xerxe habito profectum vidimus, domum reversus mutilatam invenit uxorem.

Duas igitur narrandi rationes cognoscimus. si pars quaedam primae fabulae tantum alicuius momenti est, haec pars sola narratur, cetera negleguntur, statim sequitur secunda fabula. si utraque pars eiusdem momenti ad fabulam ipsam continuandam vel ad audientium animos delectandos est, utraque tota affertur, altera post alteram vel usque ad pausam vel usque ad finem narratur. simile in Homeri narrandi arte viri docti observaverunt, qui accurate de hac re disputaverunt [1]).

1) cf. Huttig, Zur Charakteristik homerischer Komposition, Progr.

Quamquam simillima, tamen differt Homerica ratio ab Herodotea. quiescente prima fabulae parte altera narratur. haec ratio etiam Herodotea est. sed si utraque magni momenti est, altera apud Homerum saepe non modo post alteram narratur, sed etiam post alteram facta videtur esse. ut Iuppiter Irim ad Neptunum, Apollinem ad Hectorem mittit eodem tempore (Il. 15, 222): Homerus narrat, tamquam altera fabulae pars, postquam prima perfecta sit, fiat.

Iam formulas spectantes, quibus duae fabulae partes coniunguntur deesse apud Homerum videmus vocabula, quibus alteram rem iuxta alteram factam esse significetur. sed Homerus iisdem coniunctionibus utitur, quibus alteram rem post alteram factam esse significatur. mirum est, quod Homerus ex talibus coniunctionibus, quales in brevibus rebus eodem tempore factis adhibitas videmus esse (ἕως, εὖτε, ὄφρα — τόφρα), non creavit alias, quibus totas fabulas eodem tempore factas coniunctas esse significetur. Herodotus accurate aliam fabulae partem iuxta aliam factam esse explicare studet. exemplorum, quae Hüttig collegit, nonnulla affero: IV, 200: ταῦτα μὲν νῦν ἐπὶ τοσοῦτο εἰρήσθω· οἱ δὲ . . . ., vel participio usus narrat: VII, 2: στελλομένου δὲ Δαρείου . . . . τῶν παίδων αὐτοῦ στάσις ἐγένετο μεγάλη, vel coniunctionibus: ὡς δὲ τά τε τῶν γεφυρέων κατεσκεύαστο … . ἐνταῦθα (VII, 37).

Omnibus rebus, quas de fabellarum structura quaerentes tractavimus, hoc unum effici volebat Herodotus, ut simplex, dilucida, continua, facillima ad intellegendum esset fabulae structura.

Neque fabula caret prooemio et epilogo. Herodotus narrans fabellam non ex ipsa re orditur, sed prooemio usus breviter, quae gravissima sunt ad fabulam intellegendam, narrat; et ipsa fabella narrata epilogi loco, quae secuta sunt, addit. qua re fabellae differunt a fabulis

---

Züllichau 1886; cf. Zielinski, Die Behandlung gleichzeitiger Ereignisse im antiken Epos, Philol. Suppl. 8, 407 sq.

Romanensibus, quibus, quomodo totum argumentum oriatur, crescat, in culmine sit, finiatur, aequabiliter narratur. fabella non tota fabula narratur, sed in media ponimur fabula paulo ante quam in culmine sit. sed ea, quae antea atque postea facta sunt, brevibus narrantur prooemiis atque epilogis. haec Herodotea narrandi ratio differt a nostratibus, qui in narrandis fabellis ex certo temporis momento ordientes, quae antea facta sunt, data occasione postea referunt. Herodotus eo narrat ordine, quo res factae sunt. velut narrans, quomodo fur (II, 121) dolo usus ter regem superaverit, quomodo orditur? architectus moriturus filiis suis secretum committit, deinde ipsa fabula orditur. tum, postquam fur ter dolo usus peritissimum se praestitit, rex irascitur, sed praemium se daturum esse pollicitus ei filiam dat uxorem. in illa fabella de Aegyptiarum mulierum moribus corruptis atque de miro oculorum medicamento narrata (II, 111) prooemii loco, quare rex caecus factus sit, narratur, deinde ipsa fabella narrata non satis est, quod rex visum recuperat, sed etiam corruptas comburit mulieres atque integram illam unam ducit uxorem. in illa fabella de Polycratis anulo tradita (III, 40 sq.), Amasis prooemii loco perpetua amici fortuna perterritus, ut abiciat, quod plurimi aestimet, ei suadet; conclusio est: anulo invento Amasis a Polycrate, quem perniciem fugere non posse persuasum habet, abalienatur. Arion non statim servatur, sed eum Corintho in Italiam profectum opibus paratis Corinthum rediturum esse narratur; et fabella optime finitur convictis nautis (I, 24).

Etiam in fabellarum serie, quae de eadem persona coniunctae narrantur, simile quiddam cognoscimus. ut in fabellis de Atye atque Adrasto narratis Croesum hac calamitate, quia se beatissimum hominum esse putasset, afflictum esse Herodotus ipse dicit (I, 34), id est: ea fabella, quae de Solone cum Croeso collocuto narrata est, prooemii loco ab Herodoto adhibetur. atque in fine Croesus per duos annos summo dolore affectus luget (I.

46). in illis fabellis de Croeso Apollinem Delphicum consulente atque de isto fatali oraculo traditis Croesus non statim consulturus Delphos mittit, sed examinatis oraculis Delphicum ceteris anteponit: et haec fabellarum series finitur catenis Delphos missis atque Pythiae verbis (I. 90. 91). in fabellis de Lycophrone narratis (III. 48 sq.) prooemii loco, quomodo duorum filiorum Lycophron a Procle, Melissae patre, incitatus Periandro irascatur, traditur. Lycophron in media fabella exsul est. fabula finitur Periandro ulto Corcyraeos, filii interfectores.

Hanc componendi rationem etiam in fabulis Hebraeis agnoscimus[1]).

Axel Olrik ex fabulis imprimis Germanicis has tractans res duas leges formavit, quas nominat „Eingangsgesetz“ et „Gesetz des Abschlusses“[2]).

Conclusiones in fabellis sollemnes sunt[3]).

---

c) De probabilitate, qua fabellae narratae sunt.

Antiqui audientes fabulas causas et veritatem rerum non curabant, neque nos delectamur fabulis, nisi talia curare desinimus. alia est historici ratio, quam nos omittimus. quamquam cavendum est, ne sciscitando atque quaerendo pulchras fabellas deleamus, tamen quibus causis res impulsas, fabulas motas esse Herodotus voluerit, bre-

1) cf. Gunkel p. 32: „Jede einzelne Sage, die in alter Form erhalten ist, ist für sich ein Ganzes, sie beginnt mit einem deutlichen Anfang, sie schließt mit einem leicht erkennbaren Schlusse“.

2) Pulcherrima affert exempla p. 2: Rolandi morte narrata volgus non satis habet, etiam quomodo eius manus gladium complexa laxetur, quomodo mortuus sepeliatur, aliquis eum ulciscatur, volgus interrogat. in carminibus popularibus amatorum morte fabula finita non est, sed ex eorum sepulcris rosae crescunt, quarum rami implicantur.

3) R. Petsch, Formelhafte Schlüsse im Volksmärchen, Berlin 1900 has quinque conclusiones in fabellis usitatissimas affert 1) Der nackte Schluß, 2) der fortführende Schluß, 3) der zusammenfassende Schluß, 4) die Abschlußformeln, 5) die persönlichen Schlüsse.

viter quaerere conamur. nos miramur duorum fratrum natu maiorem ex ea re agnosci, quod a matre prior lavetur atque cibum accipiat (VI, 52). sed volgi hoc curare non interest: delectatur dolo, qui huius fabellae summa est. miramur Scythas, qui scuticis pugnantes servos perterritos fugant (IV, 3 sq.), volgus delectatur hoc dolo, quo servorum indoles atque natura apparet. idem cadit in alias historiolas: Dareus, cum Scythae leporem persecuti eum illusissent, se recepit atque cum Scythis pugnare desiit (IV, 134). Lydi duodeviginti annos vicissim per unum diem cibo abstinentes ludendo alterum degunt (I, 94). Croesi filius surdus mutusque (I, 85 cf. I, 34) Persam patrem interfecturum appellans: homo, inquit, noli interficere Croesum! duabus rebus offendimur: unde filius surdus mutusque cognovit patris nomen atque loqui potest Lydia lingua, quam numquam audivit antea: deinde, qui fit, ut Persa intellegat haec Lydia verba. in talibus rebus nos haesitamus atque interrogamus, veteribus placet ipsum miraculum. puer decem annorum loquitur quasi adulescens sit (III, 3). regis Aegyptiorum filia pulcherrima, quamquam aetate provecta, est virgo (III, 1)[1].

Iam ex his exemplis aliam esse antiquorum hominum, qui his fabellis delectabantur, aliam nostram probabilitatis rationem intellegimus. idem cognoscimus in fabulis Veteris Testamenti narratis;[2]) idem in Homeri carminibus et carmine illo, quod vocamus Nibelungenlied[3]),

---

1) cf. Stein, adnot. ad. III, 2, 2, quamquam non probo, quod dicit: „Wahrscheinlicher ist daher . . . daß nicht Kambyses, sondern Kyros der Bewerber war".

2) cf. Gunkel p. 10: „Diese Poesie hat eine andere Wahrscheinlichkeit als die im prosaischen Leben gilt, und vieles hält das antike Israel für möglich, was uns unmöglich erscheint".

3) cf. Cauer, Eine Schwäche der homer. Denkart, Rh. M. 47, p. 92 sq.: Penelope etiam viginti annos, postquam Telemachus natus est, vocatur pulchra atque florens aetate formaque; Giselher triginta sex annos, postquam primum inductus est, etiam nominatur „daz kint".

Quibus tractatis non mirabimur, quod etiam miracula non modo non desunt, sed magni momenti sunt in fabellis Herodoteis. antiqui homines facile ad deorum potestatem referunt, quae nobis fortuito facta videntur esse. Polycrates anulum in mare abicit, piscis quidam forte anulum devorat, piscator quidam hunc piscem captum forte Polycrati dono dat (III. 40 sq.): Herodotus ad deorum invidiam haec omnia refert. Arion delphino servatur: unde delphinus eo temporis momento venerit, Herodotus non interrogat atque audientes non interrogant: adest, miraculum fit, evanescit. sed Herodotus interrogantibus etiam hoc loco delphinum a deo quodam missum esse responderet, atque dubitantibus, quomodo fieri potuisset, ut Arion hoc miraculo servaretur, Herodotus responderet: nonne vides Arionis statuam Taenari in promunturio collocatam? nonne Corinthiis atque Lesbiis consentientibus hoc miraculum factum esse demonstratur (I. 24)? in multis fabellis ab Herodoto narratis miracula exstant, qualia in fabulis referri solent: panis tumescit, fluvius persequentes ut impediat, augetur (VIII. 137); regis oculi mulieris urina sanantur (II. 111): instrumenta aurea de caelo delapsa (aratrum, iugum, securis, patera) ardent (IV. 5): Croesus moriturus miraculo servatur (I. 85 cf. Grimm 3 „Marienkind“); Dareus equae hinnitu, fulmine, tonitru rex declaratur (III. 86) velut omnino omina, miracula, oracula magni sunt momenti apud Herodotum; ex deformi muliere fit pulcherrima (VI. 61); olivae adusti rami altero virescunt die (VIII. 55); pisces salsi, quamquam assantur, palpitant (IX. 120).

Populares fabulae talibus miraculis non possunt carere[1]).

---

1) cf. Wellhausen de miraculis in Novo Testamento narratis p. 156: „Es liegt jedoch viel näher, die Vorliebe für die echt volkstümlichen Wunderberichte schon auf Rechnung der Tradition zu setzen . . . Wahrscheinlich haben auch seine Wunder schon bei seinen Lebzeiten auf das galilaische Publikum einen größeren und allgemeineren Eindruck gemacht als seine Worte“.

In fabellis antiquorum atque nostrorum temporum a volgo narratis miracula tanti momenti esse, ut non opus sit exempla afferre. quis est qui nesciat? quis est, qui puer his fabellis delectatus interrogaverit, utrum hoc modo fieri potuissent res necne?

At Herodotus non semper satis habet eas causas solas afferre, quae audientibus satis erant ad fabulas probandas; sed aliis locis compluribus causis allatis duplici modo factas res explicare studet. ex multis exemplis ea eligamus, quibus, quamquam dei voluntate, oraculo, somnio, alio prodigio homines commoveri videntur, tamen adduntur causae ex hominum moribus atque ingenio petitae. Atym moriturum esse somnio erat nuntiatum, atque Croesus filium servasset, nisi Atys venandi cupidus suo modo somnium esset interpretatus. Croesus non modo, quia oraculo confidit, sed etiam, quia ipse cupit potiri Persarum regno atque Astyagem ulcisci contra Persas proficiscitur (I, 73). Sardes expugnatae sunt, 1) quia leo in parte quadam muri circumlatus non erat, 2) re vera quia Hyroeades Mardus hoc loco Lydorum quendam galeam arcessiturum viderat descendentem (I, 84). Cambyses fratrem necat, quia Smerdis arcum tetendit atque Cambyses eum regem futurum esse somnio vidit (III, 30). et deus omnia movet et homines ipsi suis rationibus usi fortunam sibi parant.

---

d) De symbolicis actionibus et imaginibus.

Cur Cambyses Aegyptiis bellum intulit? quia Amasis ei falsam misit uxorem (III, 1). cur Periander Corcyraeis? filium necaverunt (III, 53). cur Epidauriis? Procles Melissam filiam ulturus Lycophronem in patrem instigavit (III, 52). Polycrates necatur, quia Oroetes Persa, quod Samum insulam non expugnavisset, illusus erat (III, 120) vel quia Polycrates cum Anacreonte colloquens Oroetis

nuntium laeserat (III, 121). Dareus cum Graecis pugnaturus est, quia Atossa in lectulo cubans servas Graecas postulaverat (III, 134). Samus a Dareo expugnatur, quod Syloson hanc insulam petiverat pro beneficio, quo olim Dareum pallio donato affecerat (III, 139). Paeonibus bellum intulit Dareus, quia Paeonum mulierem cum amphora equo, fuso praetereuntem videns, ut gentem diligentissimam atque industriam in dicionem suam redigeret, optabat (V, 12). his exemplis apparet, quae gerunt reges vel principes, ad causas privatas referri a fabulatoribus. bella discordiis domesticis adsimulantur vel regis libidine incitantur. qua re Herodotus, quantum differat ab historico, qualis Thucydides est, ipse probat, his bellandi causis allatis fabulatorem se praestat potius quam historicum. volgus bellandi causas fingebat atque narrabat eas, quas ex suo animo poterat intellegere: domesticas discordias, iram, gratiam, cupiditatem, ulciscendi studium. bella ipsa non accurate enarrantur, sed singulae proponuntur narratiunculae atque fabellae, quae quasi in scaena actae oculis cernuntur. Herodotus igitur eligit quandam rem, quae habet symbolicam vim atque memoria tenetur ob id ipsum, quia oculis cernitur.

Hanc narrandi rationem etiam multis aliis locis cognoscimus, qua usus Herodotus symbolicas actiones electas narrat, quibus tota res dilucide illustratur. exempla affero symbola, quae cum similibus Homericis comparari possunt. sed ab Homerica narrandi ratione Herodotus differt, quippe qui non verbis tantum (ὥς ὅτε . . .) symbola affert, sed actiones ipsas symbolicas, quae sunt fabulae ipsius partes, describat. Aegyptii Amasim regem humili loco natum contemnunt. Amasis, ut Aegyptiorum amicitiam sibi comparet, ex aurea pelvi, in quam Aegyptii spuerant, minxerant, in qua pedes laverant, aureum facit simulacrum, quod Aegyptii magnopere venerantur. quo symbolo docet, quam stulte fecerint ei, qui se regnum adeptum contempsissent, quod humili loco natus esset (II, 172). Cambysis uxor mariti iram, cum dicit eum Cyri

stirpem perdidisse, movet. non modo loquitur, sed cum Cambyse epulans lactucam re vera foliis orbat, ut stirpem perisse significet (III. 32). **Pheretima, Batti mater, ab** Euelthone, Salaminiorum rege, petivit exercitum. rex recusat ei mittens fusum aurem atque colum symbola ita significans res bellicas non decere mulierem (IV. 162). Samii a Lacedaemoniis auxilium petentes panarium ostendunt atque dicunt opus esse pane (III. 46); Scythae scuticis usi servis se praestant dominos (IV. 3); donis missis (ave. mure. rana. quinque sagittis) Dareum illudunt (IV, 131); Thrasybulus spicas eminentes avellens Periandro, ut nobilissimos necet cives, suadet (V, 92); Darei legati aquam terramque a populis subactis postulant (VI, 48, saepius); Persarum opulentissimae atque Lacedaemoniorum simplicissimae epulae inter se comparantur (IX. 82): Mardonii supellectile aurea et argentea inventa Pausanias epulas et Persicas et Lacedaemoniorum apparari iubet, ut ostendat, quantopere inter se differant. Croesus vincula Delphos mittit significans servitutem, quam sibi Graecorum deus pro donariis suis attribuerit (I, 90, 91)[1].

Addo Herodotum omnino saepe imagines ante oculos proponere, quae facile memoria teneantur. saepissime in fabellis Herodoteis videmus reges Persarum in throno vel sella sedentes. qua imagine maxime perspicua fit regis potestas symbolo expressa[2]. velut Dareus Paeonia muliere praetereunte in throno sedet (V. 12); Xerxes apud Abydum in colle sedens copias suas terrestres atque maritimas perlustrat (VII. 44; in Thermopylis ter de sella exsilit (VII. 212); in pugna Salaminia sub collis radicibus sedens pugnam spectat (VIII. 90). Persarum, qui summa fruebantur auctoritate, in insula Samo in sellis sedebant (III, 144). sed etiam aliae imagines plurimae

---

1) cf. P. Wendland, Intern. Wochenschrift 17. Juli 1911.

2) Simile videmus in fabellis Germanicis, ex quibus, quam perspicuo modo volgus regem fingat regnantem intellegimus cf. Thimme, Das Märchen p. 141: rex insignibus ornatus in throno sedet.

eliguntur, quae describuntur eo modo, quo quam dilucidissimae fiant oculis. brevissime narrantur, quae antecedunt, quibus ad culmen perducimur. in culmine fabulae ipso moramur: imaginem aspicimus. velut Atys et Adrastus profecti venatum suem inveniunt, cingunt, Adrastus interficit Atym, servus Croeso nuntium affert: omnia brevissime narrantur. tum Lydi adveniunt atque quies est, imago describitur, qua tota calamitas illustratur: Lydi Atyos necati corpus portant, Adrastus eos sequitur, accedit ad corpus, manus tendit, ut interficiatur implorat, se accusat (I, 45). Polycrates anulum in mare abicit: hoc modo nos fortasse narraremus. quid Herodotus? videmus Polycratem navi profectum in alto mari anulum digito detrahentem, detractum omnibus spectantibus in mare deicientem: hanc gravissimam rem non narratam accipimus, sed actam videmus (III, 41). Democedes captus in servorum numero erat: quomodo Herodotus haec narrat? catenas suas trahebat et pannis erat obsitus (III, 129). postea ex pauperrimo dives regis medicus factus est: mulieres tantam auri copiam pateris ex cista haustam Democedi donant, ut servus, qui eum secutus stateres, qui delapsi erant, collegit, ipse quoque dives fiat collecto auro (III, 130). Psammeniti regis filia servae vestimento induta cum amphora aquatum, filius laqueo cervicibus iniecto atque capistratus, senex mendicans praetereunt (III, 14): imagines sunt, quas oculis videmus. addo venustam illam Cypseli pueruli imaginem (V, 92): decem virorum, qui, ut interficiant puerulum, a Bacchiadis missi sunt, postquam acceperunt Cypselum a matre, unus dat alteri, alter tertio, tertius ei, qui sequitur puerulum: omnium decem virorum nullus audet eum necare, omnes miseret infantuli viris arridentis, atque Labda mater post portam anxia auscultat [1]).

Restat, ut unam rem tractemus. Herodotus fabellis auditis, quas narrat, quid ipse addiderit diiudicare iam

1) De imaginibus in fabulis Germanicis cf. Olrik p. 9.

non possumus, nam mortui sunt, qui narrabant eas fabellas. etiam Veteris Testamenti fabulis Hebraeis atque fabellis, quales fratres Grimm collegerunt, non ipsae fabulae nobis demonstrantur, quales volgo narrabantur, sed quales ab hominibus quibusdam litteris mandatae sunt. sed hoc non multum refert. hanc, quam explicavimus Herodoteam artem narrandi, fabulatorum Ioniorum rationi simillimam, immo huius artis culmen fuisse veri simile fit nobis perscrutantibus paucis Ioniarum fabellarum fragmentis, quae apud historicos Ionios (apud Charonem, Xanthum, Acusilaum, Hecataeum, Pherecydem, Hellanicum, alios) exstant, ex quibus, quamquam non totas fabellas narratas, tamen fabellarum quarundam argumenta cognoscimus. liceat mihi nonnulla afferre, ex quibus, quatenus Herodotus similis sit his fabulatoribus intellegemus. quamquam ab historicis Ioniis fabulae de deis atque heroibus plurimae narrabantur, tamen etiam de regibus, qui iis temporibus erant, fabellae tradebantur simillimae Herodoteis.

De Gyge cf. Xanth. frg. 19 [1]). quae comparanda sunt cum iis, quae Herodotus de tyrannis (de Periandro V, 92: de Cambyse III, 32, aliis) narravit; de Sadyatte: Xanth. frg. 19 cf. Herod. III, 31; de Croeso: Xanth. frg. 19 cf. Herod. III, 139: de Amaside: Hellan. frg. 151 cf. Her. II, 162: de Atossa: Hellan. frg. 163 a, b.

Dolis, quibus hostes superabantur, volgus delectabatur (Char. frg. 9 cf. Herod. I, 80); etiam talis dolus, qualem saepius apud Herodotum vidimus, invenitur: epulantes superantur (Char. frg. 10). fabellae narrantur, quibus, quomodo artes quaedam inventae sint, demonstratur (Xanth. frg. 2, Hecat. frg. 341, 361 cf. Herod. I, 94).

Alia addo. Cambles uxorem devorat et cum videat experrectus mortuae manum in ore suo haerentem, se interficit (Xanth. frg. 12). Melampus vermes colloquentes audit (Pherec. frg. 75). nymphae gratias agunt homi-

1) Sequor Muellerum, Fragm. Historic. Graec. p. 1 sq.

nibus (Char. frg. 12, 13). draconis catulus herba quadam adhibita reviviscit (Xanth. frg. 16 cf. Grimm 16 „Die drei Schlangenblätter"). albis columbis quid futurum sit demonstratur (Char. frg. 3).

Complectamur, quae disputavimus. Herodoti atque popularis narrandi ars, quae simplicissima atque libera videatur esse, certis utitur legibus, quibus, qui fabellas illas narrabant, non minus quam ii, qui epica carmina recitabant, parebant. duabus formulis has leges explicamus: 1) ex multis rebus eae solae eliguntur, quae plurimum valent ad ipsas fabulas: omnia, quae minoris momenti sunt, negleguntur; 2) omnes res eo narrantur modo, quo quam dilucidissimae ante oculos ponuntur, quam facillime auribus percipi, memoria possunt teneri.

Argumentum.

Vita.

Natus sum Guilelmus Pohlmann Lunaeburgi, in oppido provinciae Hannoverae, die 30. mens. Iun. a. 1888 a patre Ludovico, a matre Elisa e gente Eisfeld. evangelicam confiteor fidem. gymnasii Iohannei Lunaeburgensis testimonio maturitatis instructus philologicis me dedi studiis in universitate Monacensi atque Berolinensi bis sex menses, in Georgia Augusta per sex semestria.

Docuerunt me Monacenses: Cornelius, Crusius, Furtwängler, v. d. Leyen, Otto, Rehm, Vollmer: Berolinenses: Diels, Helm, Kekule, Lehmann-Haupt, Mewaldt, Misch, Norden, Schulze, Stumpf, v. Wilamowitz, Wölfflin; Gottingenses: Brecht, Husserl, Körte, Leo, Müller, Oldenberg, Pohlenz, Edw. Schröder, Schwartz, Vischer, Wackernagel, Wendland, Weißenfels.

Proseminarii philologici Monacensis et Berolinensis et Gottingensis sodalis eram per singula semestria; archaeologici Monacensis et Berolinensis per singula semestria; seminarii philologici Gottingensis per quattuor semestria; seminarii Germanici Gottingensis, cuius senior fui, per tria semestria.

Cum omnibus viris doctis, qui me docuerunt, magnam habeo gratiam, tum iis, qui studiis meis maxime faverunt et semper consilio atque opera benigne me adiuverunt, P. Wendland et M. Pohlenz et Edw. Schröder, quorum pietatem grato animo semper colam summam.

Pohlmann, Wilhelm
De arte qua fabellae
Herodoteae narratae sint.